

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sapiente Frvctvoso Epistolares Libri quinque

Bonifacio, Juan

Ingolstadii, 1606

Liber Primus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51159](#)

I



DE SAPIEN- T E F R V- CTVOSO.

Epistolares libri quinque.

Cuidam rudimentorum præcepto-
ri perpetuo.

*Demuneris præstantia, quod in spe-
ciem humile est.*

NON tam nano gigas excellit,
quām tu rudimentorum do-
ctor stabilis mihi præstas Rhe-
toricæ artis præceptor: nos enim ali-
ter atque vulgus existimat, de rebus
iudicare, & sentire debemus, rectissi-
maq; illa norma est, qua res non splé-
dore, sed pondere ipso metimur, &
pendimus. Ergo sapientibus, planeq;
perfectis hominibus nihil abiectum,
vile sordidumq; videtur, quod illi im-
perent, & imponant, qui tanti apud

*In hac pri-
ma epistola
de fructuose
sapientis,
quasi incen-
nabulis a-
gitur, illeq;
laudatur,
qui hac
tractat hu-
milia, sine
quibus ma-
gna consta-
renon pos-
sunt.*

A nos

nos esse debent, ut eorum vel voluntatem, vel nutum, quasi diuinam aliquam legem obseruare necesse sit, & quoniam quæ Dei nomine imperantur, parua esse non possunt, certè qui ea libenter, & ex animo facit, & est, & habetur maximus. Magna ducuntur ex magnis, tu rudimentorum doctor te ipso quotidie maior es, ergo rudimenta ista parua non sunt, quæ te mirabilem effecerūt. Artium minimam ingenuarum scimus esse Grammaticam, quintæ verò classis doctor infimis inferior, & minor est minimis. Concio, cuius præceptrix Rhetorica est, extulit se multò altius, quæ summi Dominatoris, ut Iris illa Poëtarum, ad homines mandata perfert, duxq; in cœlum iis esse solet, qui eam sequi & audire volunt. Sed tamen est cur tibi Rhetor, cur etiam cedat Orator. Mitto diuinos illos homines, quorū horatatu & sapientia ciuitatum est salus constituta, nihil loquor de angelicis concionatoribus, quos fama prædicat, quorū similem si quem inter tot concio-

concionum adulteria sum naētus, admiror, artem cum arte non comparo: quantum enim inter infima, summa- que interest, tantum est inter Gram- maticam, Theologiamq; discriminis: hominum hæc est cōtentio, non mu- nerum. Elementorum loquendi ma- gistrum & præceptorem non omni- bus, quod quidem esset absurdum, sed pluribus concionandi magistris, atq; artificibus antepono. Nam pauci ita se vincunt, ut pueros doceant præ- fertim diu, qui verò è suggesto dicant multò sunt plures. Iudicia populi cō- temnere, artibus, quas multas, bona- que didiceris, quasi nuncium remit- tere, animi constantiam retinere, bal- butire cum pueris, hominem doctrina exultum nomina, & verba decli- nare quotidie, istam incudem quate- re semper, tantam habet laudem, quanta est operis difficultas. Evidem istius modi viros nunquam aspicio, quin me mei pudeat, & mihi ipse valde displiceam. Nobis nostra tractan- tibus, librosque enarrantibus campus

A 2 se sapè

4 *Desapiente fructuoso*

fe s̄a pe offert, in quo excurrat, & extulit oratio: tu inter rudimentorum spinas, & dumeta versaris: ego ab aliis doceri cœptos erudio, ipsaque interdum designatio talis est, ut me à perpingendo deterreat, & eorum, quæ sunt tradita, præstantiam persequi me posse diffidam, tu omnino rudes, planèque vacuos instituis, atque imples: me paulò grandiores attentiùs audire solent, tibi necessè est murmur cōpescere minutorum: rego, corrigoq; pauciores, plurimi rogandi tibi sunt, cognoscendi, vrgendi, castigandi: me Tullianæ orationis nitor ipse delestat, quid te humanum capere possit, & oblectare, non video: qui sermonis elegantiam adhibet Rheticus auditor iure suspicitur, nemoq; in gymnasium latinus hospes ingreditur, quin eos discipulos admiretur, qui politè eloquantur, eiusq; eruditionis contemptum præ se ferant, quæ non sine inquinati, barbariq; sermonis mercede contingat: estq; præceptor gloriæ discipulus eruditus, & elegans: tu ex

ma-

maximo isto labore fructum magis speras, quam percipis. Veruntamen tua mi Pater principia his meis perfectionibus longè anteponēda censeo. Nam preceptiones tuæ, & quæ de virtute tractant, & quæ texendæ orationis latinæ, atque struendæ initia, primordiaq; tradunt: quia omnium prima docentur, vacuam animi sedem, occupant, atque imbuunt, illisq; puerorum mentes, ut cera imprimuntur. Assuescunt pueri te magistro in primo aditu, vestibuloq; Grammaticæ non modo idonea, lecta, latinaq; adiectua cum idoneis, lectis, latinisque substantiis copulare, atque connecctere, verba celeriter declinare, oratiunculas multas Hispanas latinis verbis explicare, & Romanas facere, sed literas etiam cum virtute coniungere. Quæ enim vel dictas, vel etiam dictatas, sanctitatis igniculos iaciunt, viamque ad elegantiam sermonis, stylique muniunt. Puer verecundus, virtus amabilis, libido pestilens, vitium execrabile, humani generis liberator

A 3 Chri-

Christus, cœlestia contemplor, diligò
Deum, seruo præcepta, fugio menda-
cium, odi loquaces, recordor morté,
& quæ sunt huius generis. Nulla ora-
tio præscribitur à te vernacula lingua
ut fieri solet, explicanda latinè à disci-
pulis, quæ admonitio non sit. Trita
illa non dico, tuisque auditoribus de-
cantata, præstat disrumpi, nosq; diui-
di medios atque discindi, quàm pec-
care. Vide videntem te Deum, ô mo-
mentum, à quo æternum, aliaq; ho-
rum similia, quæ pueri celeriter arri-
piunt audita de te, neque ut magna
pars loquendi causa, sed ita viuendi.
Et vt nasci, quàm aut augeri, aut cre-
scere maius, admirabiliusq; est, ita tibi
à quo nati discipuli sunt, multò plus
debent, quàm illis, à quibus incre-
mentum acceperunt. Scio primario
cuidam viro vehementer & placuisse
& profuisse, quæ tuus quidam disci-
pulus ipsius nepos ad mensam me-
morabat authore te, & serio præce-
ptore. Nempe ardebat puerulus, &
summæ authoritatis auunculum ca-
lefecit.

Iefecit. Quantum discipuli proficiāt,
te minimē pœnitet, in istisq; pusioni-
bus erudiendis horas & tempus malē
collocari non putas. Aut enim illi no-
bis, aut illis nos prosumus. Si boni, si
verecundi, si modesti fiunt, & etiam
docti euadunt, vtiles illis sumus, & sa-
lulares: si leues, si impudentes, si mo-
lesti, si ineruditi, improbiq; sunt, nos
illi profectō exercent, eorumq; leui-
tate constituenda, frangendis furori-
bus, reprimenda licentia, moribusq;
perferendis, nostra quotidie si inertes
& pigri non sumus, augeri virtus po-
test. Scitum est illud S. Bernardini, cui
per Senensis vrbis plateas eunti petu-
lantes pueri à tergo insequentes illu-
debant, in eiusq; nudis pedibus ingre-
dientis apertum calcem lapillos sub-
inde iaciebant: ille ne semel quidem
respiciens pergebat itinere suo: socius
autem indignè ferens non animad-
uertis, inquit, proteruitatem puerorū?
Cui Bernardinus, faciant sanè
quod volent, materiam frater nobis
isti præbent, vnde sempiternæ gloriæ

*Apud Su-
rium de
Vitis San-
ctorum,
mensis
May.*

A 4 coro-

coronas pertexamus'. Dum enim molesti, iniuriosiq; nobis sunt, patientiae nobis occasionem suppeditant, qua patientia possidebimus animas nostras, & cœlorum regna promerebimur. Immortalis ille Deus mi Michaël, cuius omnia numine continentur, nutu & voluntate gubernantur, vtrumq; curat in nobis: nam & qui se præclarè gerant, plurimi inueniuntur, & qui nobis occasione ipsa profint, minimè desunt. Evidem reor si Diocletiani, Dacianiq; essent, Iustos, & Pastores non defuturos ex nostris, sed malo Diocletianos, Dacianosq; deesse, erunt sine illis pestibus Iusti, erunt Pastores, erunt qui fortissimi martyris Babylæ Antiochenæ Ecclesiæ Episcopi tres illos discipulos Urbanum, Prilidianum, Epolonium, quantum in ipsis positum erit, imitentur: quos ab uno patre genitos Imperator Numerianus saeuissimè cruciatus interemit: ex quibus natu maxima habetur in ximus duodecim duntaxat annos vi- zomis Alo- tæ complerat, medius nouem, vlti- mus

*Simeon
Metaphra-
stes de vitis
sanctorum.
habetur in
zomis Alo-*

mus septem: & tamen id ætatis de im- *ysj Lipo-*
manissimo hoste , deq; superbissimo *mani, me-*
tyranno triumpharunt . Cùm enim *minit ho-*
magistri sui Babylæ religionem tueri *rum trium*
ac retinere se velle dixissent , neq; eos *puerorum,*
verbera fregissent , quæ pro annorum *S. Chrysoſt.*
numero quisque pertulerat , ferreis *in homilia*
sunt vnguisbus Numeriani iussu dila- *de SS. Iu-*
cerati , quem dolorem forti animo to- *uentino,*
lerabant , magisq; doctoris sui crucia- *et Maxi-*
tu , qui in eculeum impositus imma- *mo.*
nissimè torquebatur , quàm suo com-
moti imperatorem his verbis accusa-
bant , erubesce , erubesce , tribusq; mi-
nutissimis puerulis longè inferiorem ,
imbecillioremq; te esse fatere . Tu
quidem ardes iracundia , nos histor-
mentis tanquam vernis floribus exor-
namur , plagarumq; vestigiis notatum
atque adeò impressum corpus enite-
scit . Numerianus magistri præsentia
confirmari puerorum animos arbit-
ratus doctorem & discipulos sedibus
locisq; disclusit , seiunctisq; à Babyla
præceptore puerulis alia donabat , alia
promittebat : non ignari tres fratres

A S quo

quo animo illa darentur, pro donis & pollicitationibus tyranno hæc verba reddiderūt, qd nos insidiose coluber decipere, & vt auiculas in laqueos conariſ inducere? nec à fide Christiana deficiemus, nec magistrum Babylam deseremus. Hæc audiēs ex carcere Babylas, & ex eo loco, in quē erat inclusus maestri, inq̄t, virtute filioli, disciplina mea, gaudium meum, lætitia mea: per amplum educationis istud est premium, laboris mei hodierno die fructum mirabilem capio: grates tibi ago summe Deus, qui talium me discipulorum magistrum esse voluisti: hæc Numerianus perinuitus audiuit, Babylæq; denuo persuadere coepit, vt simulacra veneratus acerbissimæ mortis tormenta defugeret; quem cùm de sententia dimouere non posset, vñā cum pueris capit is condemnauit. Mortem pueri constanter pertulerunt, post iugulatus magister est Babylas, qui à tyranno contenterat, vt pueri præmitterentur ad necem, veritus ne si prius ipse necaretur, constantia

stantia puerulos firmitasque deficeret. Non est negligenda mihi pater ætas puerilis, quæ huiusmodi coronis redimita fulget in cœlo. Quorundam vero improbitati ita demum irascimur, ut meminerimus nostros illos esse tortores, qui & quæ olim admisi-
mus, & quæ quotidie peccamus, vili-
ciscuntur. Etsi tua errata spero esse le-
uissima, qui animum tanquam arcum semper habes intentum. Quam au-
tem Deum amemus, qui pro nobis fa-
ctus est puer, haec eadem patientia, pa-
tientiaeque effectrix charitas decla-
rabit. Quare eo animo simus, ut non
tantum pro pueris, verum ab ipsis etiam pueris, si ita res ferat, mor-
tem patiamur. Cur enim diu Cassia-
ni sortem recusemus? qui à suis est
discipulis, iubente tyranno, ferreis stylis confixus, quorum quo erat manus debilior, eò cruciatus grauiores, diuturnioresque fuerunt. Nam
qui ludimagister est, tot stylis con-
ficitur, quot sunt errata puerorum. Prudentiam
in Periclis.
phæ.

Te appello, me etiam ipse testabor:
hæret

hæret enim in utriusque nostrum animis sollicitudo sempiterna, neque solum timemus quod palam reprehendi solet in pueris, sed etiam veremur ne quid cum animo cogitent, quo ille rerum omnium molitor & effector Deus, possit offendere. Quid sis dicturus exquirere, meditari, præuidere haud magni negotij est, præcipiendi, rogandi, regendi, percontandi, reposcendi, saepius eadem iteradi, puniendi, ventilandi, parentibus & propinquis satisfaciendi tædia perferre molestum puto, graue, difficile. Sed parturiendi dolorem partus ipse compensat. Filii tibi iam sunt, gaude, vides nunc lactentes & paruos, non multò post magistros videbis, rectores, & duces.

In Troade. Senecæ versus illos recole, qui te in isto cursu pergentem incitabunt.

Generosa in ortus semina exurgunt suos.

Sic ille magni parvus armenti comes,

Primisq; nondum cornibus findens cutem;

Ceruice subito celsus, ac fronde arduus

Gregem paternum ducit ac pecori imperat.

Quæ tenera cæso virga de trunco stetit,

Par

Par ipsa matrit tempore exiguo subit,
Vmbrasq; terris reddit, & cælo nemus.

Igitur ut est in fabulis Troia euersa
in patriam Græci non ante redierunt,
quām Hectoris filius Astyanax paruus
& infans esset extinctus^r. Timebant
enim ne si relicitus ex tanta cæde re-
staret, Troiam restitueret, collectisq;
reliquiis hostes bello laceßeret, paren-
tisq; & aui necem vlcisceretur. Neque
nos dissimiliter malus dæmon exagi-
tat, odit, insectatur: quos videt Ioiadæ
sacerdotis exemplo in summa vasti-
tate rerum, in tanta bonorum inopia
virorum regiam seruare stirpem, quæ
adulta dominetur, & occisa Athalia,
id est impudentia repressa, atque edo-
mita pudorem introducat, qui sancti-
tatis & religionis diuturnus est custos.
Non enim boni seduliq; magistri ali-
ter mundo prodesse existimantur, at-
que ille profuit, qui in arcam à se fa-
bricatam bestiarum atque hominum
genus inclusit, conseruandisq; semi-
nibus prouidit, & cauit, ne rerum vni-
uersitas interiret. Etenim literarum,
virtu-

2. Para.
cap. 23.

virtutumq; doctores: *Viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum.* Vale, & corpus istud cura laboribus, morbisq; confectum: tua sæpe valetudo tentatur, sed tamen erecta mens est, expectatione vitæ melioris. Quod enim vni præstas ex minimis istis, Deo præstas, qui dolorem, laboremq; considerat: qui improbitatis punitor est, remuneratorq; virtutum.. Teque cum Petro Sanctio, & Ioanne Alfonso coniunget, qui minimos quoisque discipulos in nostra Societate toto vitæ tempore summa cum voluptate docuerunt, quorum nominatiuis nomen debetur immortale.

CVIDAM MAGNO RHETORI.

De studio utilis eloquentia.

QUID tibi mi Martine in mente venit ista petere, qui magistrorum magister es? An tu solus hospes in ista vrbe versaris, nec ad

nec ad tuas aures illa venerunt, quæ
iactari tam sèpè à multis solent, qui
Italiam non viderint, eos limatulos
esse non posse? Evidem qui de me
demissè opinantur, ac sentiunt, eos
non valde vituperem. Vituperem?
immò verò ut eius sententiæ fauto-
res, in qua ego sum, complectar, at-
que ornem. Ij enim sumus, qui a-
liis summa omnia largiri, nobis ne
mediocria quidem tribuere soleam-
mus, deq; rebus magis, quām de ver-
bis laboremus'. Ergo in eo libello, in
quo pueros instituimus, balbutire
nos delectauit: exiles verbis, senten-
tiarum figuris non ita magni fuimus,
ne in plano tumeremus. Adolescen-
tiæ nostræ rudimenta illa fuerunt,
& ineuntis quasi quidam ludus æ-
tatis: accesserunt prœli, & typogra-
phiæ vulnera, quæ Burgensis cura-
uit impressio. Sibi quidem docti &
sapientes persuadent elegantiori-
bus esse nobis si liberet, licuisse, ar-
gumenti, & quorundam inscien-
tiæ, qui quæ sunt altius elata non
cal-

callent, rationem habuisse: ni met ad puerorum captum accōmodasse: in quo eos, qui ita censem, fortasse nō fallit opinio. Quod si vlli secus existimant, per me sanè licet. Non enim meum est, aut præscribere quid quisque sentiat, aut quo minus quæ velit opinetur, & fingat, impedire. Sed de his hactenus, instat enim mihi epistola tua vehemens, atque sollicita, qua exigis, ut de erudiendis ad fructuosæ eloquentiæ artem discipulis differam & disputem. Quod ego tuum postulatum quid sibi velit, ignoro. Illa enim poscis, quibus abundas marte tuo, & quæ pauci à me fortasse cōtenderent. Sed quæ tandem sunt illa, quæ præcipere possem, si tu is es, cui citra ruborem præcepta dare possemus? quid tam tritum, vulgare, cognitum, decantatū, & scitum? Nota tibi est Pauli Manutij aurea illa ad Saulum epistola de imitandi Ciceronis noua & pulchra ratione. Ex Verrinis, Philippicis, cæterisq; Tullij orationibus te auctore multa discipuli sumunt, in philosophicis

*Lib. I. epist.
epist. 4.*

phicis eiusdem Tullij scriptis, in Rhetoricis, in epistolis hærere iubes, ut non modò eleganter, sed etiam utiliter loqui consuescant. Nam qui Ciceronis imitator est, orationis vehementiam & salubritatem cum ornatu & nitore coniungit. Quin etiam in Cæsare, Liuio, Terentio voluntare cogis, fitq; ut quasi æs Corinthium auro argentoq; melius ac lucidius confluisse videantur. Apparet enim non fures esse impudentes, sed callidos imitatores: ita namque ex alieno mutuantur & sumunt, ut in dicendo sint planè sui, vel ut melius loquar, tui. Dicam equidem apertè quod sentio. Non modò tu, cuius eloquentiam & interiores literas admiror, sed illi etiam, quos docuisti, verecundiorem me in dicendo, & interpretando facere solent, ita sunt præclara q̄ partim docente te, partim suo ductu didicerunt. Hic tu me ad præcipiendum vocas, & iudicium requiris de re Latina meum. Ne tamen nihil tibi respondeam, breuiter illud habeto, o-

B mnia

mnia, me in magistro ponere solere, quem esse in primis eloquentem necesse est, tum suorum discipulorum callidum æstimatorem, postremò laboris valde patiétem. Sequitur enim magistrum auditor docilis, elegans non fit nisi ab elegante doctore discipulus'. Barbarus à barbaro multo faciliùs. Nam in vitiis facilis contagio est, virtutum imitatio difficilis. Nam sordidus & inquinatus magistri sermo subito arreptus atque haustus serpit, & diffunditur, pura verò & emendata loquutio ægrè & à paucissimis expressa permanet, ac permanet.

*In Lache-
te.*

*z. Officio.
Junenalia
Satyr. 3.*

Quare Nicias ille apud Platonem à bono & laudato præceptore Socrate maximè institui voluit, ne perpetuò discens dedisce videretur. Agnoscuntur enim in omnibus discipulis virtua magistrorum, virtutes si vllæ sunt, in ingeniosis tantùm eluent, & sedulis. Ergo in Demetrio Phaleo Theophrasti suauitas apparebat: in Demosthene Isæi vis ostensa est, in illo autem Ciceronis hoste Marco

An-

Antonio / nisi si Tullium animi per-
turbatio coëgit errare, ac de inimico
mentiri) magistri vel infantia, vel re- ^{2. Philip-}
missio monstrabatur: quæ se in ple-
risque solet ostendere. Librorum
lectio bonorum, qui magistri quidam
sunt, per necessaria mihi esse videtur
ad rerum & verborum quasi supel-
lestilem comparandam. Tales enim
ferè efficimur, quales scriptores lecti-
tamus. Nam cùm in illa Italia, quod
te minimè fugit, quæ bonorum au-
thorum & oratorum quasi fœcun-
da parens nullo cùm fine laudaba-
tur, multis ætatibus & seculis foren-
ses & senatoriæ literæ siluissent, pa-
trum aut certè auorum nostrorum
memoria à Ciceronis imitatoribus
studiosis vetus illa & florens reuo-
cata eloquentia est, quorum stu-
dium celeriter complexæ illæ na-
tiones, quæ ad Septentrionem spe-
ctant, tanto purius Ciceronis phra-
sim expresserunt, quantò longius ab-
erat à Latina, Gallorum, Sarmata-
rum, & Germanorum lingua vulgaris.

B 2 Boni

Boni tamen oratores aliquantò sunt
seriùs à nostris hominibus vel recepti,
vel cogniti. Cùm enim eloquentiæ
pulchritudo, & species vel longè po-
sita nostræ gentis mouisset oculos,
Tarraconensis Hispaniæ magistratus
eos præceptores accersuerunt, à qui-
bus orationis elegantiam trium ciui-
tatum, atque adeò regnorum iuuен-
tus addisceret: eo ipso tempore cura-
tum est à Lusitaniæ rege, vt eloquen-
tes magistri adolescentiæ expolirent,
quæ Hispaniæ communi fato verbū
verbo reddere, & quasdam gramma-
ticas argutias, vel ineptias potius pre-
mere ac persequi tantummodò con-
fuesset. Apud Vacæos, Bardulos, Car-
petanos, quorum ex gente nos sumus,
item apud Bæthicos doctissimi Ne-
brissensis opera quæ bellorum causa
in tenebris diu iacuerant, paululum
oculos literæ sustulerunt. Sed doctri-
næ, quām dictionis & eloquentiæ
studiosiores adhuc fuimus'. Deerant
namque doctores & magistri, qui si
non omnes, quod esse non potest,
at ali-

at aliquos politè eloqui docerent. Etenim ut diximus, in docente sunt omnia. Qui enim discipulorū ingenium naturamq; perspexit diligens intelligensq; præceptor, & quatenus progredi, ac procedere quisque possit, est odoratus, neque in eo docendo torquebitur, quem viderit tardiorum, neque quos idoneos ad eloquentiam aptosq; repererit, non faciet eloquentes. Natura, arte & exercitatione Petrus Perpinianus consequutus est, ut eo dicente Roma obstupesceret, & homini Hispano in eloquentiae laude concederet. Multi commentarye, labore, ingenio ad Ciceronem Hispani proximè accedunt, tu fortasse propius quam alij, penetrasti. Mihi quidem nostrorum hominum mores, & naturam considerati, & in patriam nostram linguā, quæ à Romana fluxit, id quod vox ipsa paululum in fine corrupta declarat, intuenti neque inepti ad Latinam dictionem, & planè Tullianam videntur Hispani, neque quia otium

B 3 & per-

& perseverantiam res tanta desiderat, si volunt, non constantes'. Hæc enim ut pleraque in animi inductione sunt posita: non autem velle non poterunt, si commodè à magistris eruditis, præmiis inuitati, ipsaque orationis pulchritudine, quæ in magistri loquentis ore splendebit, allecti, quem ut suprà admonuimus, eloquentem, copiosumque esse necesse est, tantum temporis, spatiiq; sumet, quanto opus erit, ad magistri se voluntatem nutumq; fингent, se totos in imitandis probatis authoribus colloquabunt, nunquam non scribent, loquentur, disputabunt, declamabunt. Neque verò si in externis hominibus summa hæc iam sunt, mediocria in nostris contemnam. Illos iam diu exercitatos, in Cicerone volutatos, optimis & librorum & magistrorum præsidiis communitos, labori deditos, natura lentiores nonnisi maxima decent: nobis in viam nuper ingressis, à libris imparatis, à magistris non ita adiutis, moræ impatientibus vel ipsa medio-

mediocritas esse debet glorioſa. Illo
igitur doctore opus est, qui cùm vera,
certaq; doceat, eorumque ſimilia, à
quibus hæc omnis facultas extitit, ta-
men facilitate ipſa præcipiendi diſ-
cipulos excitet, promoueatque stu-
dia multorum. Evidem illis affen-
tior, qui rudem, integrumque pue-
rulum ad elegantiam Ciceronis in-
ſtituunt, in ipſo Grammaticæ artis in-
gressu, cum eo tamen ut caueant, ne
quid fiat inuita Minerua, id est natu-
ra repugnante. Quare author tibi
ſum, qui cùm monere poſſes, vis ad-
moneri, ut puerilem captum pericli-
teris & tentes, patere diſcipulum fieri
ſapientem, qui eloquens eſſe non poſ-
ſit, laudabilis doctrina eſt ipſa per ſe,
nec parum fructuosa. Multi cùm in
utroq; excellere cupiuiffent, alterum,
quod apprehēdere nō licuit, relique-
runt, altero contenti & ſibi & aliis nō
vulgariter profuerunt. Accedunt
tempora, quæ noſtris conatibus ex-
perimur aduersa: inſtat filio parens,
nec dum politioribus hiſ literis exco-

B 4 latur,

latur, & perficiatur, exspectat, sed semilatinum ad altiores artes, disciplinasque traducit, priscæ norma institutionis in multorum animis insidet, vetus & inepta Grāmatica parum secundo populo relegatur.. Quare ita nos geramus, ut discipulis sine inuidia & offensione prosimus. Nam ita res agetur & illorum, & nostra commodiūs. Quæ ex vetusta illa præcipienda ratione, quam proxima, quamque superior ætas coluit, retineri sine detrimento possunt, retineamus, nouitatisque inuidiam, & temeritatis notam, quoad nostra fides, Societatisque dignitas patietur, fugiamus. Quæ verò magistri, quæ discipuli partes sint, quidam ex nostris docet his ver-

*Petrus Per
pinianus
oratio. I.*

bis: *Illa porrò à magistro huius artis requiruntur, ne multa cuiusque generis utilia inutilia congerat, in unum locum, sed delectum habeat, utilia retineat, illa repudiet, quæ nihil, aut parum profutura videantur: ne in alienis confutandis diutius commoretur, ne minutis aut spinosis disputationibus ingenia discipulorum*

atte-

attenuet, ut egregium aliquem oratorem proponat ad imitandum, & in eo quæ maximè excellant, sedulò demonstret, ut eos crebris exercitationibus ad omnem dicendi copiam, varietatem, grauitatemq; traducat. Exercitationes autem sunt principio minores, quotidianoq; sermoni proximæ, deinde quanta ad facultatem adolescentiū, tanta ad exercitationum magnitudinem fiat accessio. Auditorum officia partim cum doctoris officiis coiuncta sunt, quæ quoniam ex illis sine mea oratione ipsa perse intelliguntur, non attingam: partim propria ipso-rum. Ea mihi videntur esse primū, ut magistrum differentem diligenter audiant, deinde si quid non bene intellexerint, ut interrogent, tum ut omnia iam animo percepta & cognita memoria comprehendant: postremò ut in exercitationibus quotidiani omnia sibi summa proponant, ut ea vel mediocria consequantur. Neque magnopere laborent, quam multum, aut quam citò dixerint, vel scripserint, sed quam bene, hoc est quam varie, quam numerose, quam abundanter, quam illuminatè & rebus & verbis. Hæc ille de eloquentiæ magi-

B 5 stro

stro & discipulo: attende nunc Latini auditoris instituendi rationem, & ordinem ex præceptis Manutianis, qui ordo seruandus est, vbi puer Grammaticæ artis fundamenta iecit, syntaximque & cætera rudimenta cognouit.

Argumentum (inquit ille) propriis dilucidisq; verbis exponatur, adhibita cura, ut ex eo, si res ferat, præceptum aliquod eliciatur, vel integratatis, vel prudentiae comparanda: tum ad sententias perfectè explicandas industria conferatur, postremò singula verba ita perpendantur, ut & quibus eorum quodq; rebus aptari possit, ostendatur, translationum lumina, & earum diuersa genera notentur. His enim vel maxime exornatur oratio: contraria contrariis relatæ, similiū copia, quæq; à Rhetoribus paria dicuntur, & omnino quidquid orationi aut vim, aut splendorem addit, cuius utriusque generis plurima sunt, id obseruari, & exponi diligenter velim.

Pueri & adolescētes cùm Latina Latinis interpretantur, barbarā loquitionem tanquam scopulum vitent, verēdum enim est,
ne dum

ne dum copiam perquirunt, pro emendatis
vitiosa colligant. Quod præceptorum culpa
sepe cōtingit, vel quia quod optimū est, igno-
rant, vel quia negligunt. Ita sit ut illa dete-
riora facile à pueris reperta diutius hæreāt
in memoria, quam illa ipsa ad imitandū pro-
posita. Quòd si facultatem is qui docet, hanc
non habet, ut pro Latinis Latina reddat,
præstat uti sermone vulgi, quam inquinatē
loquendi morem confirmari.

De verborum dispositione laborare pau-
cos videmus, at ea tanti est, ut uno interdū
verbo male collocato tota ferè labi, & conci-
dere sententia videatur. Hinc exoritur nu-
merus ille, qui vel si reliquis careat ornamē-
tis, ipse tamen per se mirabiliter aures ani-
mosq[ue] delectet, iam de sententiis connecten-
dis ut ab altera ad alteram commode trans-
eatur, non leuis est animaduersio. Hæc de
ratione interpretandi Manutius, de
exercitatione autem sic idem:

Epistolæ sententiis moralibus aspersæ ter-
tio quoque die componendæ argumento dif-
simili proponantur. In his acerrimè velim
exerceri puerorum ingenia, sic ut non
solum ornamenta latine lingua, sed etiam
sifieri

si fieri possit artem inuentionis aliquam perdiscant: nec dubitandum quin paucis mensibus hoc exercitationis genere, præsertim si præceptor labori non parcat, tantum proficiant, ut ad orationes & audiendas & scribendas traduci possint. In orationibus nil omissatur, quod ad artificium pertineat, quæ porrò excellunt, detur opera, ut imitando exprimantur: in quo studio si biennium ponatur, pari docentis & discentis cura emergent oratoria virtutes ex præstantibus ingenii, & illa vetus eloquentia, cuius exemplum iam hodie prope nullum superest, quasi extenebris in lucem reuocata suam aliquando dignitatem obtinebit. Hec bonus ille Paulus. Audito nunc Bartholomæum Ricum in hac eadem, cura versantem Tullij imitandi, cuius haec sunt verba.

*Lib. 3. de
imitatione.*

Vt ad securius, atque splendidius loquendi genus meum discipulum traducam, me totum vni Ciceroni do, atque addico: in huc unum studiosius incumbo, in hoc hereo, huic vni penè omnem operam do: id autem hoc modo. Sumo mihi partem aliquam ex eo, quæ magis libeat, eam illi in nostrum sermonem

monem dicto, quam mihi latinam ut faciat,
iubeo. Paret, refert, corrigitur. Quo sedulo
perfecto Ciceronis locum affero integrum,
confero, discipulum que eius sunt, doceo,
que communia cum Cicerone, hortor, sic re-
liqua: ubi is sit paulo pressior, contra Cicero
ornatior, uberior, admoneo. Ut monitus
alias meminerit, suadeo, qui sonus ex suo-
rum verborum aspero concursu nascatur,
qui ex Ciceronis structura nobis concinnius
moduletur, ut sentiat, curio diligenter. Con-
tra vero quando item indiligens diligentia
minime ingrata sit, ac vocalium hiatus
molle quid habeat atque asperum, quod et-
iam si aurum iudicio respuatur, non tamen
inepti, & parum consulti hominis esse com-
monstro. Postremo cum longo nimis verbo-
rum anfractu orationem suam determinet,
ut eam intra moderati spiritus conclusos
terminos contineat, tamen si contra, eam
angustet nimis, quoad laxanda sit, sedulo
commonefacio. Hæc Ricius. Plura tu &
fortasse meliora ex meo Italo disces,
quando te discipulum esse delectat,
meum iure appello, quem genui, cu-
ius incunabulis præfui, sed eum Ro-

ma

ma perpoliuit. Hic Ciceronis quasi mysteriis, quæ in vrbe traduntur, initiatus te magna docebit & mira. Sed quoniam nostri homines pueros exerceri in loquendo maximè volunt, sunt mihi pergrata, quæ facimus. Pueros enim ad dicénum aptos paulatim & sensim nostri præceptores ita locupletant, atque instruunt, ut loqui vel ex tempore & subitò possint. Ne autē dicenti deesse possit oratio, inuentionis præcepta perficiét, quæ multa traduntur: & loquendi assiduitas, quotidianaq; scriptio. Non soleo, ut fit plerunque in externorum scholis discipulum cogere, quidquid ei dicénum sit, latinè ut id proferre conetur. Plus enim damni, quam commodi ad latinam elegantiam, quæ vna quæritur, ista res affert. Et quidem præceptor bonus latinæ orationis cùm perpetuitate, tum puritate consequitur, raro ut hæsitent exercitati discipuli: & in maternam linguam relabantur.. Quid enim tam absurdum atque absconum quam verbis magistri Latinis Hispana dif-

na discipulos reddere? in concertationibus autem quotidianis, quibus nostra mirifice Hispania capit, ingenium alias acuitur, alias memoria exercetur: ingenij periculum sit obiiciendis illis, quorum explicatio iudicium peracre, & animi lumen exposcit. Ut cum scriptoris, quem magister explanat, dictum aliquod infirmatur, de rei propositae veritate ambigitur, inter duo, quae videntur esse pugnantia, diiudicatur, aduersus sibi fuisse scriptor monstratur, sententiæ, quæ defenditur, ratio exquiritur, quibusdam positis quedam concludi debere ostenduntur, neque haec spinosiora horridè, sed politè, nitideque tractantur. Exercenda autem memoriæ, unaq; augendæ multas nostri inueniunt, atque incunt rationes. Aut enim ex probatis authoribus: & Cicerone præsertim multa ad verbum pueri ediscunt, aut quæ paulò accuratiùs scripsere, & didicere pronunciant, aut declamitant, aut à præceptoribus narratas historias, scriptorumq;

rumq; difficiliores locos expositos re-
colunt, aut artis præcepta repetunt,
aut auium, herbarum, piscium, colo-
rum, artificiorum, rei vel nauticæ, vel
militaris vocabula egregia coniun-
gunt, & congerūt, ut latinam linguam
efficiant pleniorē: aut denique ad
Ciceronis Brutum de claris oratori-
bus, Virgilijq; pugnas, vbi tam multa
virorum propria sunt nomina, tan-
quam ad scopum exercentur... Ita fit
ut quorundam gymnasiorum Hispa-
nos nostros externi, domestici, inui-
di, amici, docti, indocti, maleuoli, be-
neuoli discipulos admirarentur. Quod
scribis exercitationibus te non inter-
esse meis, damni profectō nil facis, de-
sunt ingenia, & illa tempora requiro,
quæ nosti. Declamationes pro Ado-
nia, contra Adoniam mittimus ad te,
quas videris exigere, sed mihi crede,
non sunt tantæ, quantæ sunt visæ cùm
haberentur. Erat declamatorum mira
lepiditas, ita ut vel qui Latini sermo-
nis omnino rudes erant, diligenter at-
tenderent: placuit argumentum &
quia

quia petitum ex sacris literis, & quia
in questionem res dubia venisset.
Nos & attentionis excitandæ causa,
& quodam honestæ voluptatis aucu-
pio, alia ex foro, alia ex theatro, sce-
naq; sumpsimus'. Nam Salomonem
& regem & iudicem in solio consti-
tuimus ornatu regio, aderant armati
milites Adoniæ custodes, quæ reum,
atratum, squalidum, & vinclatum cō-
pedibus induximus, quædam de no-
stro addidimus, quæ etsi Scriptura
non dicit, tamen euenire potuerunt.
De orationibus amo te, nihil illis or-
natius. Vale.

PRO ADONIA ORATIO.

Ordine præpostero ipsi accusationi
præposita, vt falsitati respondere ve-
ritas possit, quæ veritas in accu-
sante, non in defendantे
reperitur..

NULLA grauis est causa, poten-
tissime Salomon, cuius me non ex-
orsus, principiaq; commoueāt va-
rios & ancipites rerum euentus metuen-
tem

tem, forensis oratoriis munera difficultatem cum animo reputantem. In hac verò causa, qua grauior esse nulla potest, tanto perturbor vehementius, quanto est grauioris, qui defenditur. Dico enim pro capite & fortunis Adonie Salomonis fratris, dico apud regem Salomonem, quo rege nemo sapientior aut fuit, aut erit, dico ex tempore atque imparatus, id quod in re tali fieri necesse est, rege iudicium non modo exercente, sed etiam maturante. Exterret me illud etiam interdum, quod illo & iudice & auditore de atrocissimo crimen dicendum mihi sit, contra cuius vitam immanissimi sceleris consilium inisse arguitur Adonias, ut quantum accusati necessitas studij mihi afferat, tantum facultatis regi fides promissa, atque obligata detrahatur. Sed tuarex inclyte praestans, singularisq; natura coniuncta cum incredibili prudentia hunc mihi timorem minuit. Scio equidem ad istam dignitatem, infra quam sunt omnes principatus, elatum te esse diuinitus, notum perspectumq; mihi est, te non capiti tuo, sed aliorum saluti in iudicando velle prospicere, nec tam tibi curae esse

re esse Adonie supplicia, quām de te iudi-
ciar reliquorum. Vides omnium ora, atque
oculos in te esse conuersos, incredibilemq;
hominum frequentiam iudicij huīs exi-
tū exspectantium, qui profectō nunquam
tam alacriter conuenissent, tam flebili-
ter Adonie squalorem, luctum, & compedes
asplexissent, si eum te esse arbitrarentur,
qui tui periculi iudextibit, quām reo prae-
beas equiorem, nemini parcas, cognationi,
& propinquitati non cedas, nec te unquam
des ad lenitatem, quæ quia à tuis moribus
abhorrent, & ab isto regali munere valde
dissentiant, neq; timet patronus, qui mul-
tis silentibus, temporiq; cedentibus loquit
est ausus, neq; non sperat & confidit Ado-
nias. Cur enim regius frater vel ob sum-
mum dedecus & flagitium, à quo longissimè
abest, eam pñnam extimescat, quæ seruili-
est, quæq; illis imponis olet, quorum & insi-
ma conditio est, & vita turpisima? A fra-
terna cæde lenissimus Salomon regnandi
sumet initia? His se tanquam exordiis, at-
que proœmiis in omnium animos insinua-
bit? Cruorem ille effundat & sanguinem,
quem necesse est auro, argento q; partiendo,

G a viri

viritimq; distribuendo, beneficiis dandis ci-
cium gratiam, benevolentiamq; colligere,
& omnium ad se voluntates & sensus alli-
cere? Sed quid agimus? quidve preces ad-
hibemus, cum hic se precibus defendi vetet,
Bethsabes tristitia & mærore magis, quam
suo periculo moueatur? Muta mentem
istam iustissime Salomon, parentiq; tu & red-
de latitiam, quam ademisti. Evidem ve-
reor, ne in maximos illa luctus incidat, re-
giam conditionem lamentetur afflictam,
de fortunis communibus extimescat, depre-
candi officium ut pestem fugiat, suam au-
thoritatem a te spretam, contemptamq;
deploret. Ita, quæ tuo illo clarissimo triumpho
paulò antè triumphabat, quæ populi accla-
mationibus, quæ militum veteranorum co-
mitatu, quæ parentis tui Dauidis grauissi-
mo illo iudicio, quo te fratribus tuis natu-
maioribus longè prælatum, adolescentem
seni, viuentem viuenti succedere voluit,
lata exultabat, mærore & lachrymis con-
senescet, si quid forte Adoni & grauius acci-
deret, nec eius necessaria mors, & naturalis
uerit exspectata. Cum enim dolorem, quem
ex patris obitu capiebat, lenire cuperet, &
miser-

miserias domesticas consolari, Sunamiti-
dem ducere uxorem voluit, quæ ad mole-
stias absterendas omnium aptissima vide-
batur. Ut autem à rege quod optabat matri-
monium facilius impetraret, Bethsabæam
nuptiarum adhibuit interpretem: factu-
ram se, quæ rogabatur, regina promittit, re-
gem alloquitur, ut pollicita est, Sunamiti-
dem dari uxorem petit Adonie: fore enim
ut viri leuitas uxoris prudentia constitue-
retur: Salomon postulata materna reiicit,
atque repudiat, negat q̄ intueri lucem fas
esse ei, qui tales nuptias animo concepisset.
Renouat, inquis, pristinos tumultus, quie-
scere non potest, nobilitari, stabiliri, confir-
mari inclito matrimonio vult, & tyranni-
dis iacere fundamenta. Quis enim non illi
se adiungat, quem Ioabius defendat, magnus
scilicet imperator, à cuius parte Abiatharus
stet, sacerdotali preeditus dignitate, quem
uxor ipsa commendet, et as adiuuet, species
ipsa, corporisq; proceritas tueatur? Quasi
verò tacita mentis consilia aut diuinare
possimus, aut vindicare debeamus. Cogi-
tauit hoc punquam Adonias, quod cogitatue
turpe esse vidit, & factu difficile. Quid
C 3 igitur

igitur optauit? nempe ut Abisag maritus
esset, cuius pulchritudo tanta est, ut adoles-
centis oculos & animum mouere potuerit.
Eam enim quo ore, quo candore, quo rubore,
qua forma est, senex nemo despiceret: eiusq;
intuenda finem faceret. Vide ergo index
equisime ne occasionem perdendi iuuenis,
qui te olim offenderat, quæsitā potius quam
oblatam suspicemur, ne in exulcerato ani-
mo fictum crimen facile insedisse appareat,
non enim opes, non potentiam, non princi-
patum sibi proposuit Adonias, iam im-
perij crapulam illam exhalarat, sed eius
fæminæ, quam amabat, nuptias appetiuit.
Iure negata filio est, quæ patri pro sponsa
fuerat, nec enim suis se finibus tenere amor
solet, legum, iuris, & pudoris repagula
rumpit interdum. Luat pœnas intempe-
rantiae debitas, virgine careat, quam im-
potentius adamauit, cuius supplicij graui-
tatem vele exte ipso condisce. Ista enim etas
Dominator amplissime pro tuo acerrimo
ingenio, singularijs prudentia, quid po-
scere debeat intelligis, quid vero flagitet,
appetat, sitiatis, concupiscat, quam sèpè
rationem appetitus præcurrere gestiat, quia
vnus-

enusquisque nostrum ex animo constat &
corpo, opinor, experiris, & sentis. Illa
vero nimia suspicio est regni iterum appe-
titi, seditionis denuò tentatae, coniurationis
rursus reuocatae. Tam erat excors Ado-
nias, ut quæ commoueri non posse intelli-
geret, illa conuelleret? tam ingratus, ut re-
gi, à quo nuper veniam impetrasset, pestem
atque interitum moliretur? Tam impius
ut fratri mortem pararet? tam vesanus &
demens, ut iura diuina, humanaq; pollue-
ret? tam sibi inimicus ut Salomonias minas
obliuisceretur, quibus denūciata mors erat,
si modò quicquam ageret eorum simile, quæ
facere consuesset patre viuente, & ex na-
turali indulgentia ad errata iuuenilia con-
niuente? Tu ut fratrem iubeas interfici vel
innocentem, vel emendatum, vel illa fa-
cientem, que non modo reges, quorum est
facinora condonare, verùm etiam priuati
iudices, qui legum seueritate tenentur astri-
eti, vel nullo, vel leui supplicio puniunt?
Rebus nouis studebat? At uxorem petiuit
pulcher pulchrā, nobilis nobilem, adolescen-
tem adolescens, quod hominibus solempne
est, assuetum, usitatū & vetus. Regnum &

C 4 pacem

pacem turbabat? at se continuuit domisuæ, nec tam de imperio publico, quam de solatio domestico laborauit. Regi parabat insidias? At sine regis permisso ducere uxorem noluit. Quid accusas Zacharia? ubi indicia sunt sceleris? & coniurationis argumenta? Quid tam disunetum, quam tyrannum esse illum, qui uxorem petat à rege suo per reginam, & eam reginam, cui filius multis de causis gratificari debeat, mansuetum, & exorabilem se præbere deprecanti? Reginam Adonias neque suspiciosam, neque falacem, & teclam fecellit, decepit, induxit, plura postulauit, quam postulasse videbatur. Vereor ne Grammaticos appellare cogar verborum interpretes. Sunamit idem petiuit uxorem, quibus verbis quæ vis sit subiecta, cognoscis. Quam enim pater non attigerat, eius potius licentiam posse dari arbitrabatur. Per magni interest, regnum an uxorem petas, alterum cupiditatis est, altera necessitatibus: uxor queritur ad liberos procreandos, regnum appetitur ad libertatem opprimendam. Quod si regnum sunamitis dare posset, matrimonium iure improbaretur, cui regius dominatus esset adiun-

adiunctus. Quid? quod nuptiarum petitio reginae probabatur, quae afflicti, abiecti, et rum nosi misera adolescentis, illa regem poscit, quae a rege dari non modo posse, sed etiam oportere crediderat. Vedit Rex alta quadam mente praeditus quorsum illa spectarent, vedit regnum Adonia incolumi saluum esse non posse, vedit uno aspectu totum Adoniam, & penitus recognouit: & in hunc modum ratiocinari coepit ipse secū. His nuptiis tanquam gradibus in regnum meus hic frater conatur ascendere, & ex illa matrimonij turre imperij arcem commodiū oppugnare. Hac quae videntur non ita esse magna, si assequitur, quo animo est, paulatim ac sensim eo progredietur, quod non audeo dicere. Obstemus ergo principiis, & paci consulamus, quae nihil sit insidiarum, & fraudis habitura. Optime atq; humanissime Princeps quas sum ingenij tarditate intelligere non possum, unde ista concludantur, regnare vult Adonias, qui Sunamitidem petat uxorem. Si vero regnum, quod equidem nesciebam, adhesionem habet necessariam cum Sunamitide: & nobis argumentari licebit: non regnabit Adonias, cu;

C s est ne-

est negata Sunamitis. Sublata regnandi
causa est, noli timere: fatalem istam virgi-
nem in turrem includito, aurumq; illi do-
nato, ut satietate ipsa aurum furtim ob-
latum paruipendat. Fratrem ista si cau-
sa, atque isto nomine ingulas, vereor, ut
ciuib; tuum possis probare iudicium. Et
enim in flagitiis morte puniendis, id
quod te minimè fugit, suspicioni locus esse
non debet. Nisi enim fratris insidie hac
sint luce clariores, nisi confessione, chi-
rographo, testibus patefactum scelus de-
monstretur, nemini Adonias videbi-
tur iure casus fuisse. Sæcum, iracun-
dum, dominandi cupidum, parricidam te
populus appellabit, Abimelecho similem
dicet, qui fratres sceleratissimè trucida-
nit: cruentatas fraterna cæde manus istas
horrebit. Scis enim, quæ sit licentia Iudeo-
rum, quæ conuictiandi procliuitas, quæ in
maledictis iaciendis audacia. Quis Daui-
de lenior? quis moderatior? Tamen qui
nunquam vltus est iniuricum, qui hostem
quandocunque poterat, conseruabat, vir
est sanguinis appellatus. Animaduerte
quanta tibi & in præsentia, & in posterum
inui-

inuidia tempestas impendeat, quem des
liberis nostris sermonem, nepotibus, pro-
nepotibus, & qui deinceps orientur. Ut
fratrem interimeres, nuptiarum causam à
te esse oppositam, nec iustam, nec idonean-
affirmabunt: florem illi hunc iuuentæ in-
uidisse, matris preces repudiasse, cuius
habenda ratio fuisset, aliudq; tempus ex-
spectandum: quæ vitam sibi acerbam pu-
tat, & sic tecum tacita loquitur. Fili quid
agis? quo te trahit iracundia precipitem?
Cur regnandi primordia à cæde capis, &
carnificina? Cur me meis ciuibus red-
dis inuisam? Toties Bethsabæa lugebit?
toties funerum erit effectrix? mea causa
Vrias interiit vir militie laude præstans,
erga suum ducem fide, & quod caput est,
erga Dei arcam pietate clarus, & excellens,
cuius memoriam omnes anni consequentes
excipient, propter me occiditur Adonias
generosus, animosus & pulcher: fatum hoc
meum est, ut claros homines & illustres
extinguam: meq; interueniente illi tru-
dantur ad mortem, quos immortales esse
oporteret. Scilicet negotium, quod mihi
mandauerat Adonias, per bellè transf-

egi,

egi, plurimumqz rogando, intercurrendo qz profeci. Nubet Sunamitis Adonae nullo strato geniali lecto, nullo apparatu nuptiali: pronuba mors erit, auspex lictor & carni-
fex. Noli hanc inimicis dare latitiam, noli parentem tuam senio confidere, noli persan-
cti illius Davidis, quite procreauit, quietum
illum, & securum animum commouere, no-
li patris tui manes ex pace & otio deturba-
re, noli genitoris tui esse dissimilis, qui Ng-
balem Carmeli, à quo grauem iniuriam ac-
ceperat, ulcisci noluit, plus enim apud illum
Abigailis valuit oratio, quam Nabalis di-
ritas, & mores intolerandi: maluit qz sordi-
dissimi hominis inhumanitatem impuni-
tam relinquere, quam matronae prudentis-
sime & monita & preces aspernari. Quam-
obrem deliberate cum ipse paulisper, utrum
magis expediat, iacere ne in luetu & squal-
lore matrem, an vivere Adoniam, & fieri
meliorem. Quod si errati excusatio nulla
est, si perniciosus, si audax, si turbulentus,
tamen quod Bethaben appellavit, viuat
Adonias, habeat quæ te genuit hoc munus
à te furiosi iuuensis conseruati, gladyqz ab
eius cervice & collo reiecti, qui in regis pe-
ctore

etore sceleratissimam sicam & insidiosissimam desigere voluisse. Quò enim facinoris est grauior atrocitas, eò magis tua laudabitur, & extollebitur clementia, pietatis clarius documentum dabis, qui matris auctoritatem tuis & doloribus & periculis preferendam esse censueris. His te & vocibus, & lachrymis luctuosa mater appellat, digna cui obtemperes. Pater verò ex illa sede, quam est quietam post mortem adeptus cum Abrahamo, Isaco, Iacobo, magnisq; illis heroi bus sociatus te etiam rogat, ne à lenitatis itinere illo deflectas, quod tibi tritum satis reliquit & notum: ut q; in suis ipsius vestigiis pedem statuas, hortatur. Qui non modo propinquis, sed etiam alienis, qui se iniuriosius tractauissent, ignoscet. Petit atq; obsecrat, ne se liberis orbes, quos habuit vita ipsa chariores: Semel & iterum Iesus grauerit à fortuna est, Amnonis, atque Absoloni interitum mæstissimè deplorauit, tertij vulneris, id est filij Adoniae à Salomone filio necati non poterit dolor non esse grauissimus. Da hoc mortuo patri, quod viuo minimè denegasses. Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius: persceptrum, per dia-

per diadema regium, per dexteram istam
te oro, quam frater fratri Adonie paulo
antè porreexisti, per parentis cineres, per
illum præpotentem D E V M, qui te ista
in sede collocauit, ne irasci & saevire per-
gas, nevè illum nobis eripias, cuius cor-
recti, atque edomiti vita gloriae tibi erit,
regno saluti. Ille conseruatus spiritum non
tam ab hoc cælo, quām à te ipso ducere, &
haurire arbitratus vitam, actiones, consilia
ad regiam istam dignitatem tuendam,
ornandamq; conuertet: virtute, qua valet,
ingenio, quo pollet, industria, quam habet,
ad tuam utetur voluntatem. Vide faciem
indolis indicem, candorem, ruboremque
considera, speciem animaduerte, oris &
corporis dignitatem, ac decus intuere:
quæ omnia spondent pro Adonia, nec eum
pacis turbinem, regni tempestatem & pro-
cellam fore portendunt. Id quod inimici
atque aduersarij dictitant, ut à te gratiam
aucupentur. Quos natura ipsa refutat, cu-
ius in hoc adolescente signa præludent, que
iuuenili ardore restincto pacis alumnū,
pietatis vindicem, regiae dignitatis pro-
pugnatorem, bonarum partium, bona-
rumq;

rumq; artium fauctorem & patronum fore pollicentur. Quamobrem hoc nos metu libera, perfice, ut omnes placabilem te esse intelligent; vultumq; istum cum facile, tum semel exorari solere cognoscant. Quid fides, quid promissorum constantia, quid humanitas, quid clementia, quid sanguinis necessitudo poscat, intelligentis, quid ad regnum stabiendum lenitas, & mansuetudo possit, non ignoras. Adonia ex hoc timore recreato gratiam ab omnibus inibis non vulgarem. Te populus diligit, multitudo complectetur, sacri, profani laudabunt, colent optimates, viri facile principes obseruabunt, amabunt tui, metuent alieni, canet hæc etas, posteri celebrabunt. Quid tam tuis triste, tibi q; suspectum, quam ut in omnium animis hereat sollicitudo sempiterna? Neque beneficiis prouocati vitam istam, vel suis corporibus tueantur? Sed suppliciorum metu perterriti de se cogitent, sibi caueant, quos pro regis salute excubare oportebat? Propone tibi matris contumeliam, patris voluntatem, fraternæ cognationis nodum arctissimum, vulgi opinionem, popula-

pularem inuidiam, ciuium offenditionem, da-
bis profecto misericordiae, quod iracundia
negauisti. Ego causam omnem suscipio, vita
sanioris vadere me & sponsorem profiteor,
& pro Adonia me suppono reum. Colliga
& meas, & Adoniam manus, si ita libet, ser-
ua, reconde, horribiles custodias adhibe, ubi
vel minima terti facinoris significatio data
erit, interfice, neca, dilacerare: nunc redubia,
Bethsabe intercedente, obstupefcere popu-
lo, vereor ne illum unum timere desinas,
quem occideris, eos omnes formidare inci-
pias, quos offenderis. Perficere, ut ille unus
vel sponte, vel coactus praestet officium, regi
difficile non est, dare operam, ut omnes te-
dius saluum & in columem velint, neq; diffi-
cile, neq; à tuis & moribus, & parentibus
& temporibus alienum, isto q; munere non
dignum, quo nullum in terris neq; salubrius,
neq; maius agnoscimus.

IN ADONIAM ORATIO.

Priori respondens.



Aximas tibi sapientissime Salo-
mon gratias omnes & agimus, &
habemus, qui reorum de capite iu-
dicia

dicia illustrium, & clarorum longo inter-
vallo renocasti, tribunalque istud, quod re-
gia stirpe sati non valde metuebant, sum-
morum, & humilium, potentium, & tenu-
iorum commune esse voluisti. Cùm enim
cœlitus regem te esse factum meminisses,
ita vitam instituis, & ea consilia suscipis,
quæ te diuina sorte regem esse electum de-
clarent. Nam si humano sensu ducerere,
si naturæ terminis tuas actiones definires,
talem te abiecto, afflicto, squallido, vin-
cto catenis fratri tuo præbuisses, qualem
alienis, ignotis, exteris impertire con-
fuesti. Tua enim misericordia calamito-
sis occurrere sponte solet, nec exspectas,
dum illam oratione & precibus euoce-
mus: ut non modo paterna ditionis, ve-
rūm lenititudinis etiam hæreditas ad te
summo Dei immortalis beneficio perueni-
se videatur. Quid ergo hac noui iudicij
noua forma significat? Cur Adonias ista
nobilitate præditus, isto cognationis regiæ
prædio munitus, isto amicorum comitatu
circumseptus, disertissimi patroni voce de-
fensus non tam salutarem in iudicando lite-
ram exspectat, quæ reos scelere solutos peri-

D culo

culo liberat, quam tristem illam reformidat,
quare iudicio conuicti damnantur? Nimirum diuinæ seueritatis administer est Salomon, quæ nec minis exterretur, nec ullis
capitur blandimentis: non preces audit, non
lachrymis mouetur, non propinquitatis,
& necessitudinis gradus obseruat, nihil
amat deuium, obliquum, & prauum, per-
sonas non loco & genere, sed meritis &
dignitate distinguit, publicam salutem prima-
tis emolumentis, & commodis anteponit.
Sed ut mea libentiū ab his, qui adsunt,
audiri possit oratio, repetam paulo altius
Adoniae consilia, quæ etsi tibi rex inclite,
inaudita non sunt, tamen ea populo
comperita, explorataq; esse oportet, ne de
regis sententia dubitare illi possint, qui-
bus reus ipse sit cognitus. Nec enim du-
bito, quin probaturus vobis sim accusa-
tionem hanc meam, quam nunquam susce-
pissem, nisi me iustitia vis ipsa coegerisset, pa-
tria mouisset, quæ mihi vita charior est,
regis impulisset salus, quam vel cum vita
periculo tueri debemus, Deus ille, nostra
gentis dux, rector, & parens, cuius nos vi-
nea sumus, & chara possessio, qui in com-
muni-

munibus miseriis nationum exterarum nostram conditionem vult esse præcipuam, munus hoc mihi mandauisset. Sic enim trahor, rapior, atque incitor, ut minimè dubitem, quin vis sit hæc diuina, quam moueor, quæ Adoniam, cui nunquam fui inimicus, reum facere iubet, quæ potentium inimicitias suscipere cogit, quæ me in profligatorum ciuium perditorumque impetus compellit, atque obiicit. Ergo dum non tam unum accuso, quæ universos defendo, dum à rege sanctissimo & optimo immane parricidium, à regina certissimum interitum, à regno exitiosam pestem, ab edibus horribile incendium, ab agris calamitosam vastitatem, ab exercitu veteranorum saeuissimam cædem, à sacerdotibus mortem crudelem, à Prophetis exilium, à virginibus stuprum nefarium, à matronis turpissimum adulterium auerto, propulso, detestor, quæso diligenter attendite. Senuerat rex ille rerum gestarum gloria clarissimus, morum & religionis integritate memorie hominum aeterna commendandus huius nostri regis parens & sator Da-

D 2 uide

uid: etateq; ingrauescente se domi continebat. Quam occasionem minimè omittere ratus Adonias, regni occupandi consilia, quæ animo & mente diu agitauerat, maturauit. Suadente nescio quo (nec enim necesse est omnium flagitia, impuritatesq; proferre, patesciet dies, & ostendet) equitatum & currus adhibuit, seq; gloriost huius regni heredem & successorem infestis aduersisq; superis est ausus profiteri. Ipso autem inaugurationis die illos omnes ad epulas inuitauit, quos sceleris nouerat esse participes. Quiq; Salomonem regnare nolebant, cum ei regnum ex Davidis promisso, & Dei optimi maximi prescripto & voluntate deberetur. Nathanus vates egregius Salomonis, pedagogus magis de alumni salute sollicitus, quam de sua, perturbatus regem adiit, quem iam ipsius Nathani admonitu Bethsabe Salomonis mater, quam honoris causa nomino, docere cœperat de factis Adonia. Dauidem orat, ut promissa præstet: si demq; liberet obligatam, nec ante & veteri, & precari, orareq; desiit, quam nox illa & optimorum animis, & regni rebus offusa.

offusa, Davidis vocibus, tanquam solis
radiis repente dispulsa est, luxq; relata
terris, quas tenebrae coniurationis obscu-
ravit. David enim, dum se regem som-
niat Adonias, dumq; Adonie similes
in coniuio accubantes, vino languidi,
completi cibo, sertis redimiti, sermoni-
bus suis & colloquiis cædem bonorum eru-
ctant, Salomonem, quem immortali D E O,
id quod nomen ipsum indicat, sciret esse
charissimum, auspiciis longè melioribus re-
gem creat: oleo sacro delibutum, princi-
pem, rectorem, & ducem summo populi
consensu appellatum in regia sede consti-
tuit gratulans, gratiasq; agens immortali
D E O, quod antequam ex vita migret,
regni hæredem & successorem, vel regem
potius Salomonem filium oculis liceat in-
tueri: cuius prudentia plurimum tribue-
ret, de quo sibi omnia summa promitteret.
Obstupuit Adonias, simulatq; certior est
factus de patris voluntate, huius fautores
alij alio diffugerunt. Sic illa regni com-
mentitū fabula finita est, vel inchoata po-
tiū, restat enim actus extremus, quem tri-
gicum esse necesse est, & luctuosum. Sic ill.

D 3 brevis

breuis fulgor euanuit. Adonias morden-
te conscientia confugit ad aras. Quis e-
nim vita dignum putaret eum, qui diuina
& humana iura violasset? omnia miscu-
set? sui patris lenitate & patientia impu-
denter abusus esset? in regnum temere in-
uasisset? regni hæredem oculis ad cædem de-
signasset, suo parente neque consulto, neque
appellato se regem venditasset, nominasset,
in clamasset? in communi conuiuio fratrem
Salomonem, Salomonisque paedagogum,
& matrem præterisset? Baniam ad epulas
non vocasset, quem vitandæ suspicioneis
causa inuitare deberet? At qui Salomon
audacissimo & iniuriosissimo fratri liben-
ter ignouit, foreq; affirmauit, ut ne capillus
quidem de capite deflueret, dummodo se
Adonias corrigeret, neque ad ingenium
rediret: id enim non impunè laturum. Da-
uid interim fortis & sanctus excessit è vi-
ta, funus & exequias regio apparatu Salo-
mon celebrauit, parentiq; mortuo pietate
& lachrymas reddidit, quas debebat.
Adonias magis suo damno, quam patris
obitu mærens, illis instigantibus, qui pro-
pter anteacta vitæ scelera Salomonem me-

tue-

tuebant, recuperandi regni, quod sibi putabat eruptum, consuetas artes experitur. Itaque ad Bethsabem se contulit, quam orat atque obsecrat, ut quando cætera amisit, Sunamitidem per eam à rege impetrare liceat: matrimonij non valde approbandi simulatione coniurationi latebra queritur: regina nil mali suspicata gaudet oblatam esse occasionem de inimico benè merendi, adit ad regem: Salomon quæ se peperisset, eam omni obseruantæ genere colendam arbitratus venienti asurgit, loco cedit, honestissimè sedere cogit, loquentem non interpellat. Lene est quod petitura venio, ne nega fili. Optato quæ voles, nihil enim mihi gratius accidere potest, quam ut matris obsequar voluntati. Detur Abisag, quam pater reliquit intactam. Cuinam? detur uxor Adoniae. Orem indignam! ô grauem impudenteriam! ô matrem delusam! ô filium ancipi-
ti deliberandi cura distractum! vicit tamen verapietas, vicit regni salus, antelata est publica utilitas priuato dolori. Totum leonem Salomō ex ungle cognouit, matrem ab errore deducit, quæ sint perniciosa, ut

D 4 nepe-

ne petere perseveret, hortatur. Adonias
animum non tantum ex ipso postulato, sed
etiam ex postulandi exordio sibi esse per-
spectum. Regnum enim, cuius potitus Sa-
lomon esset: suum est ausus nominare. Er-
go si de facinore iam liquet, si neque quie-
scit, neque est quieturus unquam Adonias,
si unius mors salus est omnium: quid Oza
reprehendis? Reminiscere principium il-
lud orationis Adonae loquentis cum Beth-
sabe, non te fugit regnum Israëlis meum
quondam fuisse, reliqua disce ex actis iu-
dicialibus, que in tabulas scribæ summa
cum fide retulerunt. Tuum vocare audes,
quod erat Salomoni iam inde ab aeterno
tempore preparatum? Bethsabe iure iuran-
do promissum, eius, qui de te iudicaturus
est, fidei, constantiae, prudentiae, pietati, &
quietissimæ paci debitum? Hic rerum o-
mnium molitor, effectoriq; Deo templum
& ducabit, pacem confirmabit, ciues auro
argento locupletabit, optimæ artes hoc re-
gnante florebunt, sicut severa iudicia, le-
ges seruabuntur. Siccine te corrigis? Hanc
habes gratiam illi, qui te à mortis fauibus
ereptum humanissime conseruauit? O in-
crediti-

credibilem audaciam! ô scelus inauditum!
Regi sanctissimo, nisi prouidemus, paratur
interitus, insidiosæ cædis autor ille credo,
deligitur, qui sicas in hominum corpori-
bus desigere solitus est, prius quam sentire
& cauere potuerunt. Hic nuper ad eum
se lanistam contulit, & ut se dant princi-
pia, audacia & scelere breui magistrum
vincet. Turpis, audax, horribilis, tetra-
coniuratio renascitur, quam in perpetuum
putabamus esse compressam. Hæret enim
in reipublicæ visceribus malorum omnium
semen inclusum. Viuit Adonias iam diu
malè cogitans, viuit Ioabus homicida
turpisimus, viuit Abiatharus concor-
diæ & pacis inimicus. Quamobrem domi-
nator aquissime, cuius est paci consulere,
& tranquillare rempublicam, hunc bonis
timorem eripe, hæc monstra confice, ex-
tingue, perde, basilisco, dracone, & vene-
natis feris seuiora. Cur enim illi frater sis,
cui tu nunquam cognatus fuisti? Qui non
hominibus tantum, verum etiam illi præ-
potenti D E O bellum impium & nefarium
habet indictum? Quem enim fatetur D E I
consilio, ope, adiumento, nutu & volun-

D s tate

tate regem esse factum , ei vim & manus
conatur afferre . Te mirarer , te dilige-
rem Adonia , si Absalom facie dunta-
xat similis facta respueres . Ne si ita te
gesisses , amabilis & charus esses : nimis
tamen ista similitudo te magnopere defor-
mavit . Ut enim ille incæsto stupro , paren-
tisque geniali lecto violando confirmari re-
gnum posse arbitrabatur ab Achitophele
deceptus , ita Adonias perditorum sua-
su Sunamitidem patris delicias concipi-
uit , ut illo optato impetrato alterum in
regno pedem ponere videretur . Hæc tibi
Oza videtur esse res dubia ? clementia lo-
cum ausus es aperire , quem clausit , &
obstruxit Adonias ? Tam eras excors ,
ut Salomonem sœnitiae insimulares , qui
quod sanari non posse videt , resecandum
arbitretur ? Non is est Adonias , ut cum
metus à periculo retrahat , à turpitudine
pudor auertat . Fratri ad pedes projecto
ea lege & conditione condonatum est sce-
lus , ne quid unquam tale tentaret , mo-
liretur , somniaret . fæderarupit , quæ hu-
manis diuinissimis legibus interdicta erant ,
quæ seuera metuenda regis denuntiatio-

ne pro-

Itaque nihil illa admonitione salubrius,
qua necem hominis auari illius quidem,
Iudei tamen & iisdem imbuti sacris im-
pediuit. Neque hominis diritas punita
non fuit, ac cœlitus vindicata, qui deci-
mo à negatis panibus die moritur repenti-
no, nouisq; nuptiis domum vacuam fecit
DEO optimo maximo pro Dauide iudican-
te: qui ad Abigailis occursum se repressit,
cuius virum nisi opportunè interuenisset,
iam erat oppressurus. Salomoni, si priua-
tus esset, tamen vim vi repellere licuisset;
nunc rex animaduertere in flagitosos de-
bet, punire audaces, purgare ciuitatem,
& reipublicæ tanquam sentinam exhau-
rire. Daudem ab inferis excitare noli,
liceat sine interpellatore illa pace frui,
quam pacem bellis fœliciter consec̄tis, &
exantlatiis laboribus est adeptus: orbitas do-
lori esse non potest, aliter de rebus sentit
atque sentire consuevit, cum esset in terris,
corporisq; cum cupiditates tanquam faces
inflammarent. Non cadit in illa umbra-
cula luctus, non orbitas, non ærumna, ex-
pers huiusmodi malorum illa vita est, neque
in illos secessus otij plenos, & quietis, hac
quibus

quibus afflictamur, incommoda penetrant,
Salomon itantum tribuit, quant a regis post
hominum memoriam maximi prudentia
est, eum pro filio non habet, qui se fratrem
fratri non prestat. De inuidia & populi of-
fensione noli laborare. Nunquam commis-
surus est Salomon, ut suam humanitatem
desideremus, nec lenissimi regis hæc est cul-
pa, sed partim temporum, partim eorum, qui
non usitatis flagitiis, mediocribusq; contem-
ti quæ grauiſſima, quæ maxima, quæ sunt
teterrima moliuntur: quorum sanitas despe-
ratur. Adde ingentem esse numerum perdi-
torum Salomonem metuentium, quem paci-
ficum esse futurum augurantur, pœnasq; ab
improbis repetitum: quas qui bellis pre-
muntur, aut condonant, aut remittunt. Si
lent enim inter arma leges, impunitatem sten-
prælia pollicentur: multa q; militibus vel à sum-
rege iustissimo conceduntur, quæ nunquam com-
si pax esset, in mentem veniret optare. Rex mihi
verò noster pro sua cùm potentia, tum vel pro
maximè prudentia ut paucorum pœna sal-cta:
ui esse possimus, efficiet, fratrisq; non minus illarum
necessario, quam se uero suppicio documen-
ta dabit, quam diligat iustitiam, quam ne-conciliat

gligat insanias populares. Quinetiam Adonie pœna, qua naturæ & legibus satisface-re cogetur, viam muniēt ad pœnas, quas quorundam sanguis iniuste, crudeliter, insi-diosè fusas efflagitat. Illa enim Davidis se-cretacum Salomone colloquia, ille moribun-di patris sermo inuolutus, & tectus, illud magni regis tanquam testamentum, de quo alius alio modo sentit, (nihil enim certi est, quod dicere homines possint) quo modo mihi persuadeo, legata partim lata, partim funesta complectitur. Sed stulti sumus, qui Salomonem iustitiae præsidem ad fraternum supplicium impietati, audaciaque debitum adhortemur: & sapientissimo regi voce pre-paire audeamus, quid sit indicaturus.

Si Cur non potius mœrentem, anxiam & tri-tem stem consolamur? Cur non Adonie pre-sto vel à sumus? & quem mori necesse est, mortis ei uam commoda & utilitates exponimus? fortissi-Rex mi iuuenis, sed cuius præclaram naturam im-vel probi consiliarij deprauauerint, & à re-sab. cta ratione detorserint, animū ad æternam inus illam vitam erigimus, authoresq; illi sumus nen-honesti finis, & mortis gloriose? Regnum ne-concupieras exiguum, breve, fluxum, tem-igat poris.

poris, lociq; angustiis circumscrip^{tum}: enim
verò si lapsi, si animum reuocas ad verita-
tem, si res suis momentis perpendis & pon-
deras, si vel ad punctum temporis homi-
nis sobrij atque prudentis cogitationem su-
cipis, si te & coniurationis pœnitet, & e-
rum scelerum, quæ in Deum mortifera com-
misisti, recordatione ad pudendum, pigen-
dum q; adduceris, si diuinum numen & pre-
cibus & iusto mortis sacrificio placas, re-
disq; propitium, morte emes immortaliti-
tem, proficisceris ad parentem tuum, ad n-
ostri generis Principes, Abrahamum, I-
acobum, Iacobum, ad pios vates, ad strenuos
ces, sanctisq; illis Patribus annumerabere
qui immortalem D E V M summa religi-
one coluerunt. Dum viuis, & lucis hu-
tibivsura permittitur, vita superioris a-
rata corrige, deplora, defle, & totis ani-
viribus execrare. Resipisce, ad iustitia
reuertere, ac remigra, tibiq; persuade
cælum suspicis, si mentem expias, si tu
pitudinem amoues, quæ una nos D E
facit inuisos, in meliore causa te esse
quam si totum orbem sub tuam ditione
subiunxisses. Ergo animose Adonia cupi-
tatis

ratibus nuncium remitte, regnis & impe-
riis dic salutem, amabote, principatumque
illum tibi propone, quem pater ille tuus ver-
sibus & hymnis celebrauit. Morere animo
forti, sanguinem patria largire, & quia re-
gni communio, atque societas stabilis esse
non potest, tuis te immola, ac denoue ciui-
bus, ut tuo cruento pax possit diuturna sanc-
ti. Sic enim fiet, ut actionum tuarum infa-
miam gloriosa mors deleat. Habet munus a
me non inuidi accusatoris, sed amantissimi
monitoris, lachrymas accipe, quas ista nobi-
litas, & etatis flos iste depositit. Nec enim
silice natsumus, sed quæ pars nostri obiecta
doloribus est, dolet, angitur, ingemiscit.
Quæ vero rationis est tota in sententia per-
manet, seqꝫ ad Dei singit, & accommodat
voluntatem. Tu vero rex inclyte, cuius re-
pressis lachrymis, tamen infixus hæret ani-
mo dolor, hoc quod in ipso regni quasi vesti-
bulo tibi fortuna vulnus infligit, accipe pa-
tienter, eiusqꝫ dolorem pompa funeris con-
solare. Ita sine inuidia culpa plectetur, cum
honore corpus in sepulchrum inferetur, qui
honos & propinquitati debetur arctissime,
& animo morientis.

IUDICIVM SALOMONIS.

SI quis vestrum expectat, quem sit hæc causa finem atq; exitum habitura, quid simus iudicaturi, utrum potius approbatu-
ri, OZam ne, qui defendit, an accusatorem Zachariam: consideret ipse secum regale Salomonis officium, non dubitabit, quam sententiam ferre cōueniat, ubi quid regem decernere sit necesse, cogitarit. Quod ad me attinet, defensorem & patronum libenter, actorem perinuitus audiui, tametsi ille notabatur, qui neq; roganti fratri suo morem gessit, neq; regi paruit imperanti. Sed nos in indicando non obsequemur dolori, non iracundiæ seruiemus: illo animo erimus, quo esset unusquisque vestrum, si Dei permisso & voluntate hunc locum, & regia dignitatis gradum teneret. Vtinam se ita gesisset Adonias, ut præmia potius virtuti & sapien-
tiae decernenda, quam audacia & temeritati pœna statuenda esse videretur. Ne-
mo illum aut maioribus beneficiis cumulaf-
set, aut altius extulisset, aut ardentius am-
uisset. Sed quoniam ita casus tulit, ut fra-
tris persona ponenda mihi sit, & iudicis af-
sumenda, supplicij scueritatem hominis te-
triatq;

tri atq; improbi sceleribus assignemus, dolorem, qui me penè consumit, & conficit, partim naturæ tribuanus, partim fraternæ charitati ascribamus, qua si non facta Adonie, quæ grata esse non poterant, at ipsum Adoniam sum semper amplexus. Non agam obscure: compara animum tuum, teq; apud Deum in gratia ponito, est enim tibi moriendum. Mortuo honores, funus, exequias, & lachrymas pollicemur: sed si me audies, hæc negliges inania, deq; sempiterna iustorum memoria cogitabis, quam pater ille meus, idem q; tuus non sine cœlesti afflatis versibus cecinit admirandis. Banalias Ioadæ filius supplicium exequetur, sepulturam mihi reseruo, & quæ te ab obliuione vindicabunt honoris & gloriae monumeta. Perge animo forti, gradere fidenter ad mortem: bella enim mors vitam non modò tegit, sed etiam honestat turporem.

• SO:OS •
S

E a

CvI

CVIDAM BONO POETÆ.

De optima faciendorum versuum ad imitationem veterum ratione.

Literis sæpè aliàs appellatus à te nihil omnino responderam, sed instare non desinis, rogare non cessas meam de versibus faciendis, deq; tota ratione poëtica sententiam. Putabam te cum amico iocari, ac ludere illa quærentem, quæ mihi si tribuam, sim profectò non modò arrogans, sed etiam insanus atq; amens. Poëtas lego cùm possum, interdum imitari studeo, sed ars hæc mihi non procedit, versus scribo indignantibus musis sæpiùs, quàm libentibus. Itaq; stomachor omnia, nihilque mihi in hoc genere arridet meum. Consule cùm alios tum maximè Scaligerum illum, qui fontes aperiet. Sitim explebis, nihil tacet, nihil dissimulat, nihil omittit: magna inquies, Scaligeri vel seueritas, vel morositas est, nimium se præbet in arguendo, fastidiosum in approbando, sumnum ius, summa tibi esse

bi esse videtur iniuria.. Evidem mi
Barthule in isto genere nihil nimium
existimem,,

Mediocribus esse poëtis.

Non homines, non Di, nō concessere colūna,

*Horat. in
arte poet.*

Sunt hæc voluptatis , cui est maxi-
mè affine fastidium. Quare versus no-
bis pāgamus, potius quàm aliis: ad cu-
ius verò tanquam archetypi similitu-
dinem nostra sit dirigēda manus , no-
tius est, quàm vt à me debeat explica-
ri. Etenim in heroico versu Virgilius
excellit, atque ita excellit, vt hic solus
poëta fuisse videatur.. In scribendo
epigrammate non Catullum , vt qui-
dam (horreo enim argumenti turpi-
tudinem, neque valde amo numerū)
sed Martialem , purgatum tamen ob-
seruem, & sequar. In Elegia Tibullus
& Propertius placent alter altera de
causa, mollicula semper excipio : nec
Ouidium in tristibus non amplector,
qui versus flebiles suos omnium opti-
mè rotundauit: quod autem volubile,
apertum, lene, facileq; est, magnope-
re oblectat Hispanos. Senarios Iam-

E 3 bicos

bicos à Seneca discimus, qui solus in eo genere restat ex classicis, & antiquis, sed ita plenus, inflatus, copiosus, & grauis, ut tragicorum penuria Latinorum minimè videatur esse lugēda. Nec enim Senecam in illo tragedia quasi regno competitorum aut mors, aut penuria, sed fuga constituit, nec tā duce fortuna reperit, ut qui in vacua venire solent, quām victoria, & pugna peperit principatum. In Lyricis Horatium, id est, Latinū Pindarum cīmulari oportebit, quæ igitur in his excellunt, quos nominaui, imitari discipulus debet, ille inquam discipulus, cui Musæ videbuntur esse propitiæ. Nam qui adolescens ita natus est, & ita consuevit, panget quæ volet cumq;. Materia deesse non potest grauis & ampla Christianis, quam video antiquis Scriptoribus defuisse : eoque ars illorum est nobis, non quæstio mirabilis. Quare si fructuosi Poëtæ esse volamus, danda opera est, ut argumentum nostrum sit, ars verò, id est species & figura veterū Poëtarum. Nihil enim pro-

proficimus, si nō antiquos imitamur,
non admodum mentiendo, sed ornā-
do, poliendoq; versu. Quem qui iam
inde à pueritia limare didicit, Poëta
fit magnus. Quamobré tuos discipu-
los doce cunctari, doce non effutire
versus, sed tanquā parturire, doce non
dimetiri solūm, & concludere, sed et-
iam ponderare, delere, mutare, corri-
gere. Neq; enim illa sola vitanda de-
formitas est pedis claudicantis, cùm
multa sint præterea fugiēda: quæ par-
tim ex te discent, partim ex Poëta-
rum lectione cognoscēt Virgilij præ-
fertim, partim aurium ipsarum iudi-
cio cōsequentur. Approbatores enim
habere non potest, qui sibi non fuerit
Aristarchus: principio versiculos im-
pera de re facili, orna atq; instrue di-
scipulos poëtica supellec̄tile, digitos
que in fontes intende. Cura vtaudito-
res tui ab oratoria dictione poëticam
internoscāt, ne nō docti, admonitiq;
vtrumq; confundāt orationis genus,
sintq; & inepti oratores, & insulsi poë-
tæ, etiam atq; etiam cauēdum tibi est.

E 4 Epi-

Epigramma placet peracutum & per-
breue, in eo exerceri adolescentulos
diligentissimè velim. De niue, quæ
decidit illo in die, quo Annæ Philippi
regis nostri vxori mortuæ Pinciani
doctores parentarunt, Academiæ ro-
gatu sic lusimus.

*Esse quid augurij, mōstrij, interpreter, alto
Quod cælo fluxit copia tantaniuis?*

Respsuit atratos regina beata colores,

*Proq; nigris albas sufficit Anna togas.
Sed qui miscuit vtile dulci tulit omne
punctum. Sapientem enim quæri-
mus fructuosum.*

De genitrice puer, de genitore Deus.

Qui pentameter Leuini Torrentij
est poëtæ elegantis, & pij. In Satyris
generatim Christianus poëta repre-
hendet, atque insestabitur vitia. Nisi
si Lutherus, Caluinus, & aliæ huius-
modi pestes vituperentur, aut forte
ille notetur, qui Erat mus sanctissima
quæq; rodens & carpens. Sermones
vltro citroq; habiti, quos videmus in
Seneca esse creberrimos, ab strenuo
imitatore omitti non debent. Ex no-

stra

stra Margarita , quæ certè preciosa
non fuit, magis aliis, quām mihi hi
versus placuerunt altercantis cum,
Gazophoro Peniphili, (satis.)
Gaz. Quid melius auro? docuit hoc Christus
Iubens amicos colligi, & nummos dari,
Qui nos ad altas euehant sedes poli.

Pe. Mammona iniquū veritas verè vocat.
G. Sunt cuncta nobis munda, si partē capit
Mendicus, et si resfluens in opī damus.
P. Ex parte diues, pauper omnino est Dei.
G. Mentē misericors sāpe cum nūmis dedit.
P. Est gaza ditis mentis inflata domus.
G. Etsi arca diues, pauper est animus mihi.
P. Cur ergo rebus turbidis animus cadit?
G. Humana quatūt mentis humanæ statū.
P. Terrena seruas, condis, & curas bona.
G. AEdes parenti diunes edificat Deo.
P. Magis perennes pauper instaurat domos.
G. Possessor auri pauperes nudos tegit.
P. Nudi magistrum malumus nudum sequi.
G. Matthæus altam possidet latus domum.
P. Reliquit aurum voce diuina excitus.
G. Benignus astra concito passu petit.
P. Pauper beatus, cuius est regnum Dei.
G. Quid liberalis posit, & valeat scies,

E s Cūm

74. Desapiente fructuoso

Cum summa mudo venerit, certa & dies.

P. Cibus sed animi corporis praestat cibo.

Nec liberalis non erit pauper pius.

G. Est clara virtus diuitis sancti & probi,

Qui cum liceret transgredi, se continet.

P. Est summa egeni sanctitas, spote abdicat

Bonis se & auro, copias ultro abiicit,

Radice ab imo vellit & fibras mali.

Eiusdem Poetæ Anapoëtos imitan-
dos censeo, nosq; in nostra de labore
comœdia sic facimus loquentem in-
dustriam.

Sedula teneros educo natos,

Iubeo pigris surgere lectis,

Me duce nemo carpere somnos

Longius audet nocte sopora,

Per me nulli cessare licet.

Vigiles cogo incumbere libris.

Cum se roseo pulchra nitore

Mouet aurora & tarda refulget,

Raroq; polum sydere pingit.

Ecce meorum pars mare fulcant

Rate veloci, gremio terræ

Pars immotæ semina mandant.

Alios studium, curaq; auara

Vexat habendi, fulgor & aurum.

Nimis

Nimium raptat spesq; lucelli.
Sunt quos hyemis rigida nunquam
Frigora tardant, prælia Martis
Agitant multi laudis amore,
Impigra quosdam stimulat ira.
Vos desidia temnire amores,
Pueros perdit, maculat q; viros.
Languida segnes efficit artus,
Nescia laudis, panis & indiga.
Hæc luxuriem gignit inertem,
Hæc obscenos nutrit amores,
Rudis hanc sequitur turba magistrum.

Choriambicis delector interdum,
de sapiente fortunato sic quondam.
Felix coniugium, symbola gloriae,
Orbis diuitiae, gazæ recondita,
Dantur sepe viris præmia fortibus.
Virtutem sequitur sors bona diuidens.
Se se consilio casus & ingerit,
Nec fortuna viris non fauet optimis.
Fortunata tuas perfice nuptias,
Et pectus rubeat stemmate nobili.
Nascatur soboles clara parentibus,
Illæso veniant iure nepotibus
Hæc quæ nunc frueris munera cœlitum.
In tectis maneat fama perennibus.

Turpis

76 De sapiente fructuoso

Turpis pauperies incubat otio,
Stipem, qui piger est, cogere cogitur.
Imbellisq; manus munera nesciunt,
Portas alterius pigra manus tenet,
Et panem precibus vix sibi queritat.

Nostros de diuino amore Sapphicos
legisse te audio, relegisse non credo.
Versus impariter iunctos, hexametros,
& pentametros Grammatici dicunt,
quibus vditionem Iosephi lugemus,
placere tibi sensi, ego ex tam multis
elegiae versibus vix decem libenter
aspicio.

Inuenere viam nocturno fata sopori,
Et voluenda dies somnia vera probat.
Sortis erunt primū toleranda exordia tristia
Prospéra sed tandem meta laboris erit.
Fortè aberant fratres, longinquaq; pabuli
nacti

Quid fieret, charū non docuere patrem
Ignarus genitor grauiora pericula veris
Cogitat, at q; animū cura paterna premis
Vade ait ô fili, fratresq; innise remotos,
Solue metu pauidū mox rediture senem
Disce qd acciderit, fraternosq; inspice casu
Et rediens animū tumihi reddemeum
Paru

Paruit Isacides, baculoq; adiutus ab uno
Accelerat gressus, imperiumq; patris.
Quēq; rogat cursu in medio, fratrūq; viaq;
Ignarus spatiū vertit in omne caput.
Inuenit tandem iuuenes, gaudet q; repertis:
& infrā.

Cōiurāt pariter, fratremq; occidere tentāt,
Demat ut auguriis mors violenta locū.
Nā pcul agnoscūt, & somnia voce retractāt,
Esseq; conclamant tempora vota necis.

Et deinde vsq; ad illum locum.

Cōstitit ut propius frates de more salutat,
Et patris curas commemorare parat.

Plura loquuturum iuuenum manus occu-
pat ardens,

Talaremq; adimit plebs furiosa togam.
Est in conspectu puteus, cisternaq; inanis,
Alta, ingens, operis signa vetusta manet.
Fontis inops, sicco moles extenditur antro,
Horrida tartareos inuehit umbram et.
Hāc furibūda cohors puerο minitatur iner-
remit,
Vita graues iras, auguriūq; vetus. (mi,
Stat puer, & gemitu, velferrea corda mo-
ueret,

Non tamen iratos flectere voce potest.
Venditionis historiam, Rubeni la-
chry-

chrymas, parentis Iacobi perennes lu-
ctus, acerbissimumq; dolorē præter-
mitto, q; etsi sum versibus persecutus,
tamen mihi ipse non placeo. Nā cùm
ineptus & iners pictor sim, non modò
Agamemnonis, sed etiam Menelai, &
Calchatis caput obuoluendū putau.
Da operā, vt hæc q; ad te mittimus in-
choata & impolita perficias. Quædam
etiā, quo hic vides esse modo, à te in-
cepta tuis discipulis absoluēda propo-
nito. Quò enim minus viæ restare vi-
derint, eò alacriùs ad metā propera-
bunt. Estq; permagni ingenij ea per-
polire, in qbus nec caput, nec pedes
Emblemata, ænigmata, antitheta, epi-
taphia digna esse statuo, in quibus iu-
uētus elaboret. Sed vt Io ille apud Pla-
tonē præ Homero Archilochos, He Pro-
siodosq; contemnit, sic nobis Virgilii
poësis reliq; santeponēda est, omnifq; Lib
in hoc admirabili poëta exprimendo
industria collocanda. Versus aut fieri
debet, non qui Virgilij esse monstratur,
sed quos Virgilius si viueret, ap Let
probaret. Non enim imitatio illa pla Mil
cel

cer, quā deprehendere facile sit, quęq;
dilacerat, discerpitq; Virgilium, sed
quę ex integro Virgilio delibatur.
Quędam ex nostro Vincentio profe-

Hic est

Martyr

Abulen-

sis.

ram, quem Daphnū appellamus³.

Pastor erit Daphnis, geminæ quem sœua so-

rores

(tur.

Adtormēta necis verbisq; animoq; sequen-

Non tā vere nono splēdent variata colores

Prata, nec in clausis tantus decor eminet.

hortis,

(noret,

Quātus erit syluis, pastor quas Daphnis ho-

Ipse rigans sacro squalentia rura cruore

Ditabit terras, & frondibus ardua montis

Culmina complebit, steriliq; recedet auena.

Humidat tempestas, soles, pluviæq; viciſim

Mox aderunt, tellus grauidata ut semine

fruges

He Prodigat, & multis sementi partib. extent.

De tumultu in regno Granatensi à

Libertinis excitato sic quidam.

Nutrit Lodoicus & armat

Formosum iuuenē, fratrisq; ut posset haberi.

Germanus fecit, soboles & digna parente,

Lætatur fido regni custode Philippus,

Militiaeq; iubet palmas, viridesq; triūphos.

Secta-

Sectari, & fusum Christo libare cruorem
Barbariae, nomenq; Dei legemq; tueri.
Hac ubi constituit regni possessor auiti,
Fata viā ostendūt, quae super astra leuaret
Austrius, & famā ventura extēderet atas.
& infrā.

Gens Hispana piis firmisq; in sedibus alta
Pace fruebatur, subito cū terra tumultu
Nutare, at q; armis seruilibus actatimere
Incipit exitium, vastasq; dolere ruinas.
Bæthica maurigenas sēper q; exptarebelle
Vulnera prima capit bello impugnata n
pente.

Ocia rumpit Arabs, & qui sanctissima fid
Sacra colit vultu, bellumq; indicit apertu
Natio fædriagos mores imitata suorum,
Quos Lybia de gente satis, Pænoq; biling
Scim°, & abiguas vafros se vertere in art
Mulio grassatur, prædamq; exercet agre
Vinitor, incautos perimūt, passimq; trucid
Monticolæ excelsis fidentes rupibus, inge
Australis regio damnum perpessa Philippo
Mentē animūq; mouet, cædesq; effecta pio
Mille sacerdotū, fratremq; ad bella tonā
Munere concessū frater iubet ire Philippo
Durarudimenta, & forti tractata lacer
Ver

Versus de beata Virgine, quos mihi
superioribus diebus hac præteriens
ostédisti, ex illis sunt, quos probo po-
tissimum lenes, perspicui, volubiles,
non incompti, inq; usurpanda licen-
tia verecundi. Quidam enim cœlum
se attigisse putant, si versus faciant in-
accessos, nam vocabula audaciùs trās-
ferunt, voces nouare non dubitant,
compositionem amāt duriorem, vo-
cales inter se committunt, claritatem
consultò fugiunt, latinæq; dictionis
portenta versuum esse ornamenta cé-
sent. In Iezabele sua noster sic lusit
Benedictus, quām poëticè viderint
alij, quam non duriter videre mihi
videor..

Impia quid tellus felicia munera frugum
Agricolis orata refers? qd messe quotannis
Isacidas ditare iuuat? quid semina fosso
Excipis in gremio segetem latura feracem?
Deseritur cultus, patrumq; antiqua priorū
Religio nutat, multos dominata per annos.
Heus celus, heu crudele nefas, altaria passim
Erigit impuro gens circuncisi Baali.
Anrides regni turbata pace recludit

F

Per-

Perfidia baratrū, portisq; patentibus intrā
Ambitio proflans tumido de pectore voces.
Pestifer idolo delibans vina sacerdos,
Auri tetra fames sacros inuecta recessus,
Cunctorum & mater scelerum fœcunda cū

pidō,
Vana superstitionis varios induit a colores,
Et blando aspiciens vultu dānosa voluptas,
Huic comes horrisoni vudit succincta flā
gellis

Vltio non tardo celerans vestigia gressu.
Pone sequens nigris velox infamia pennis
Perpetuas hominū maculas aspergit honoris.
Finitimi nostris insultant cladibus vltro,
Thariadisq; domus claris elata triumphis,
Euphrati & Nilo que formidabilis olim,
Incumbit lapsu iam iam casura pudendo.
Nos meretrix regina minis, nos territal
ira.

Phœnissa auguribus falsis decepta furenter
Diuinos vates gladio morti q; reseruat.
Et ne monstriferi desit pars ima colubri,
Insolitum q; nefas per summa cacumina fa
de

Serpere nequitie desistat, regia coniux
Crimine composito vita priuare Nabothum

App.

Apparat, & falsis turpisima testibus aurum
Argentumq; viri, vicinas captat & vuas.

Si alia in discipulorum poëmatis species, & quasi forma lucebit, Lucaniq; magis quam Vergilij similis esse videbitur, neq; id tam voluntate accidat, quam natura, patere, permitte, dissimula. In fundendis enim carminibus etsi industria plurimum potest, tamen ingenium dominatur. Sit sanè Lucanius, qui Vergilianus esse non potest. Sed utinam Vergilianus sit, à Maronisque Eclogis ordiatur, quibus sum amicissimus. Itaq; reginæ Annæ interitum bucolico versu defleuimus, ex nostra Phyllide (sic enim inscribitur) quædam hīc fragmenta ponemus. Lacunas tu pro ista facultate, istoq; ingenio complebis.

Fletuq; sonoro.

Crescebant undæ, pleno quas flumine labens
Voluit Anas.

Paulò post Mycon sic loquitur vñus
ex pastoribus.

Quid toties fluuij repetito nomine luges?

Quid lycida inclamas? q; te fortuna fatigat?

F 2 Post

Post gregis imperium tanti, post ḡs aruare-
cepta, (rena?

Quæ Tagus aurifera præceps locupletat a-
Tu fontes, tur rur a tenes, tibi stagna, lacus ḡ,
Abdita ḡ ex imis resplendet vena latebris.
Quin ride, pecoris ḡ noui noua gaudia mēte
Concipe pastorum fortunatissime pastor.

Ex responsione Lycidæ illi.

Et ni iussa Dei, charum ḡ obstaret ouile,
Indiuisa me sequerer commercia lucis,
Mortua me & secum charissima Phyllis ha-
beret. (dam

Scilicet hoc fuerat cognati ad fluminis un-
Quod querulis toties portedit vocib⁹ anser,
Quod p̄dixit Anas tristis, lachrymabile ca-
men (cultus)

Dum strepit, & nobis somni est erepta:
Cum ḡ animus tanti præagus funeris esset,
Solumur in fletus dubios, stratum ḡ cubili
Linqmus, ignoto & iuuat indulgere dolor.
Hic me infelicem repetiti funeris usus
Efficit uxorum: rapt⁹ quid Phyllide restat
Hæc mihi demebat curas, prolem ḡ virilen
Hæc mihi quarta dabat, numero quadrave-

rat apto (etiam

Germana, & nostros excusserat intima la-
diti

Dic te felicem potius, dic pastor, & illam Myc.
Suscipe Phœbeo fulgentem lumine, qualis
Luna solet, veteri quod nouū supaddito nomen.
Dicite pastores sanctæ reuerentia famæ
Quos mouet Hesperia, iam Phyllida quæso
Dicte. (Dianam.

De Iaponiorum oratorum aduen-
tu meos ad te mitto versiculos, sed im-
perfectos ut soleo, nam clausulam tibi
relinquo, qui sic habent.

Venisti tandem, nostrisque obtutibus ora,
Orainquā patuere virū, quos littoramille,
Immensi quod maris non impediere labores,
Quò minus optatā cursu contingere metā,
Et se sacrata possent substernere terra.

Aurea nunc verè sunt tēpora, cernimus ipse

Egregios iuuenes. & infrā.

Vltra Indos, Gangem quod amplum, penitusque
repostas

Sinarum gentes felix iacet insula, felix,
Prole virum felix, studiisque asperima belli,
Ingeniis diues, nostræque simillima genti,
Imperio quod potens, spaciis amplissima regni.
Xavier hanc adiit, sacrae legionis alumnus,

Militiaque nouæ, cui dat cognomen IESVS.

Spreuit iter durū, Christi quod potentibus armis

F 3 Vicit,

De sapiente fructuoso
Vicit, & ad numerum, gremiumq; fidele vo-
cauit.

(rum,

Nam simulacra iacent, & diruta fana Deo-
Erecta q; cruces, templorumq; ardua tecta
Conuersæ gentis verum testantur amorem.
Iam noua progenies solito de more piorum
Legatos Romam regali stirpe creatos
Misit, inaudit o quos ille excepit honore
Gregorius, nullo quem tempore fama silebit.
Ille oratorum mediis amplexibus alto
Consilio superum cœlo sese intulit, & mors
Obstupuit, magni q; patris de funere nullos
Inuida condoluit potuisse aptare triumphos.
Gregorio Sixtus succedit munere diuūm,
Gregoriumq; sequens cæptos consummat ho-
nores.

Ergo Iaponios iuuenes sacrauit ad aram,
Militiæq; dedit gestare insignia sacrae,
Legati leges, Romanaq; iura receptant,
Sixtus & admissos in regni parte locauit.
Quid memorem ludos, quid gaudia, dona
triumphos

Vtriusq; Hesperia? instigq; per ampla Philipp
Regna, dies festos, choreas, turbæq; ruentis
Murmur, & admirans, stupidumq; extem-
pore vulgus?

Nam

Nam quis longinquis non admiretur ab oris
 Venisse afflictis quæsitum oracula rebus,
 Venisse in columnes pedibusq; infigere sacris
 Oscula, magnorum mādata exponere regum
 Quatuor orantes fidei veraq; salutis
 Præsidia & grata pastorem agnoscere voce
 Primitias terræ, florem, specimenq; suorum?
 Vosteneri duros pelagi, terræq; labores
 Emensis varias gentes vidistis & urbes,
 Romaq; tantorū scopus est, & causa laborū.
 Ut quondam extremis orientis finibus illi
 Tres adeò magni reges ditione relicta
 Venere ad Christum portates thuris odores,
 Atq; auri glebas fului, stactæq; liquorem:
 Utq; illis dubio lucebat tramite fulgor
 Sydereus, stellæq; viam didicere magistra:
 Sic vos vestra fides rexit per operata viarum,
 Difficilesq; aditus, & inhospita rura reclusit.
 Utq; Austro veniens olim regina remoto
 Intravit Solymas arces, regemq; scientem
 Consuluit, sic vos Romano ex fonte bibistis,
 Dogmag; de puro libasti gurgite sacrum.
 Hite damnabunt scelerata Britannia testes,
 Insula turpato quam fæmina iure gubernat.

Hispanos versus qui nostris præcep-
 toribus operam dabunt, ne cogitare

F 4 qui-

Ioannes
 Anglia
 Rex quod
 Sacerdotes
 per vim ab
 Ecclesia
 expulisset, à
 Pontifice
 Romano
 anathe-
 mate dam-
 natus, non
 ante abs-
 litus est.

quām dia- quidem discipuli debent, auocan- fru
 dem ca- enim vehemēter ab studiis literarum reb
 pīt adem- Latinarum, redduntq; animos mol- à C
 ptum Pan- dulphose- liores: verendumq; est, ne cum qui- hac
 dis Apoſto- lica Legato busdam vernaculis poētis insanire in- ne p
 tradidit cipliant, quorum omnia probassem, si
 professus argumentum placuisset. Sit auditio
 nunquam illud nīs à plane Latinus, sit Græcus, iaceat ver- uer.
 Romano nacula poēsis dum Latina condisci- lum
 Pontifice se tur.. Quam poēsim puram, virginia- fun
 esse receptu rum, idem lemq; esse percupio. Historiam tibi
 gilius lib. 15. historia narrare libet iisdem verbis, quibus
 Anglica, neq; id no- pifices, aut nobiles vitam non bene actan ren-
 uum, si qui- dem Nau- deseruissent, & homo haud indoctus septu die
 clero teste ginta quinque annos natus poēticum opus face
 genera. 41. multos per annos elaboratum rerum qui bus
 Adulphus dem amatoriarum plenum iam iam prel. plu
 primus esset commissurus, hortatus est noster qui uer-
 monarcha dam, ne id faceret: quod ubi paulò attentius ex
 & Anglo- esset meditatus, non ita multò post ad eum lite
 rum rex idem re- dem reuersus, ita est, inquit, pater, sicut di- ter-
 gnūm Leo- ni quarto xisti: Ex septuaginta quinq; annis, quas ibi
 fru

fruor hac luce, sexaginta penè integros in Romanæq; Ecclesia se-
rebus inanibus, aut pangendis poëmatibus cit & eccliga-
 à Christiana pietate alienis contrivi: si quæ te. At Ie-
 qui hactenus in plurimorum manus meo nomi- Zabel fu-
ne prodierunt, eare uocari à me possent, ego rere non
 m, si verò libentissimè facerem: ne quid mihi Romane
 ditor damni, illis autē periculi crearetur. Animad- Ecclesia
 uerto quid illud sit, expedire ei, qui scanda- bellum in-
 lum præbet, ut potius demergatur in pro- ferre. Sed
 fundum maris, quam pedicas obuiiat, qui Dens bone
 n tibi bus se fratres illaqueant: sed quid aq;am? insula in-
 uibus mundi more sequuto illa exciderunt, Chri- sula quid
 s scri sti Domini vocem nunc audiens resipisco. Britan-
 biblio Tum bonus senex dena carminū millia igni- nia post tot
 g; in bus dedit, ac ne quid huiusmodi supereret, pietatis
 auto idem minutiora quæq; fragmenta perquirit. exempla
 actam renis, illa quo q; combusit. Erat autem quo à Christo
 septu die hoc facere decreuit, patienti Domino sceleratissi-
 n opū sacer. Cui pollicitus se posthac piis carmini- mè deficit,
 n qui bus reliquum vita impensurum. Nunc Lapones
 preplures hymnos, & America ad fidem con- sine maio-
 er qui uersæ poëma edere parat in lucem. Hæc rum exem-
 entia ex annuis Romanæ professæ domus plus & is ipsa
 d eum literis excepta non prodesse non po- veritatis
 cut di terunt, & ab scribendis amatoriis ver- adducit
 , quæsibus deterrere discipulos. Vale. ad Christi
 fruor

CVIDAM HONORATO VIRO.

De iis, quæ nostris Latinitatis magistris
obiici vulgò solent.

PLENA erroris sunt omnes
Francisce perillustris, utinam qui
ne inuidia, doli, fraudis & in
sidiarum. Sunt qui in iis hominibus sun
quos Societas nostra erudienda in Au
uentuti præficit, Grammaticæ arti scie
præcepta desiderent, cum desiderant que
di causa non sit, sunt qui Antonij N
brissensis libellum, quem de hac ipso
arte scripsit, à nobis omitti dicant reo
quod omnino falsum est, Antonij seue
nim præcepta nostri sequuntur, co
rectione quadam adhibita. Sunt qui ris
terentium requirant, cuius Teren
Hispania
Terentium
S. Augusti
ni familia
fuis ex gym
nasiis rele
ganit, sua
soreq; fra
stre Ioanne
Baptista
lex de hoc
opso lata
est, huiusc

Terentium vin
nos florem libamus, vepres, spinasq; scri
reiicimus, docemusq; pueros sine T per
rentio ipso Terentianam dictiōnē est c
Alij ne suos nobis liberos credant que
docendi sanctitatem opponunt, quan
utinam semper obiiciant, quæ si vcom
est, neque sine DEI ope transfudet,
potest in pueros, neque qui docensibi

ultra progrederentur, quam ut eos à mortifera culpa prohibeant, quos erudiendos suscepereunt. Alij ex quorundam inscientia de cæteris iudicant, quo iudicio nihil fieri potest iniuriantur. Nam in summa nostra diligentia deest sibi sæpè discipulus, de nibus sunt parentes, desunt propinqui. Aut enim ex his studiis ad grauiores scientias intempestiuè, immature, que traducitur, aut aliis vel oblectationibus, vel occupationibus nostris frustra reclamantibus auocatur. Quare optandum est, ne in approbandis seueriorum disciplinarum auditoriis, cōbus facilitas tanta sit, quanta esse pue-
nit quis voluntas solet ex his obedientiæ vinculis euolandi. Cùm verò adolescentium sc̄entulorum eruditionis, & scientiæ periculum ille idem facit, cuius intentionem est delinire puerulos, quid sit conse-
quuturum profectò vides'. Quis e-
t, quā nim candidatus, & honorum illorum competitor, quos suffragatio dare so-
nsfuder, illi non placeat, quem scit utilem, loceret sibi esse aliquando posse? Itaque in illa

*autem mo-
nachis quā-
ta fuerit
sanctitas,
declarat
ille liber,
quem de-
eius vita
& mira-
culis scri-
psit frater.
Ioannes
Medina
Episcopus
Mechoaca-
nen sis.
Hac ita
affirmat
frater An-
tonius à
S. Romano
in libro de
nouem il-
lustribus,
qui in Me-
xicanore-
gno sancti-
tate flo-
ruerunt.*

VIRG.

virorum necessitate, in hac leuitate
puerorum etsi multi nostri auditori
mediocritatem assequuntur, paucum
tamen illis in urbibus, in quibus
nostris scholis ad ampliora gymna
facilis migratio est, vel licet, vel libe
esse perfectis. Estq; quorundam
discendo tanta peruersitas, ut nos
Grammaticam cæteris doctrinis, at
artibus, sed cæteras disciplinas atq;
artes Grammaticæ præmunire vide
antur. Nam quilibet suos vel spo
te, vel obsequuti amico cuidam à n
stris scholis tanquam ab ubere mar
auulso grauioribus literarum studi
quæ vel Salmanticæ, vel Complu
vel Pinciaæ florent, addixerunt, err
rem tandem aliquando agnoscere
nobis filios tradunt denuo poliend
doloriq; téporis illa iactura est, qui
in illis magistris audiendis positum
est, quorum explanationes intelligere
non poterant, sed vel hospites erat
& peregrini, vel interpellatores
diosi. Nihil enim aliud faciunt
perstrepunt, rident, garriunt, exp

du

sed alios esse etiam volunt pueritiae
doctores, ut sit locus optionis'. Quod
ad nos attinet, iudicemus, quod
cateruæ veniant, doceant sanè sexcenti,
videant tamen qui publico consilio
præsunt, vtrum sit magis expediens,
gymnasia multiplicari, an crescere li-
centiam puerilem, discipulorum ani-
mos distrahi, sedarum fieri diuortia,
quot capita, tot esse sententias, impro-
borum & perditorum patere perfu-
gia, qui enim eorum, quæ vel admisit,
vel omisit poenas, suppliciumq; formi-
dat, ad faciliores magistros confugiet,
tantoque erit & indoctior, & impro-
bior, quanto liberior. At est difficile
docere quamplurimos'. Quasi verò
magistros nostros latere aliquid soleat
in tanta immensitate, quos pro nume-
ro discipulorum plures pauciores, pro
genere, moribus & natura seueriores
leniores adhibere Societas consuevit.
Mercenarios doctores multi quærunt,
ut pecunia conductis quas velint leges
imponant. Eisq; fidelioribus, constan-
tioribusq; vtantur ad suorum erudi-

G tione

tionem filiorum. Evidem à meis rectoribus quotidie admoneor, me sape Provincialis inuisit, neque mihi vñquam esse licet negligent. Tan seduli, laboriosi, industriiq; sumus quām si præmiis & pecuniæ & laudi amplissimis afficeremur. Nostri ingenium meum, nostri naturam, perspecti amicissimo tibi mores mei sunt beneficium libenter do, perinuit accipio, mecumq; aetum esse ducoclarè, quod eos ciues nactus sim, q; me nihil impellant, quo minus m esse similis possim, & in abstinenti proposito permanere. Quosdam nostros auditores, ut parū doctos isti dent, cùm ridēda sit magis pueroru ad studia optimarum artium immatura, præpropera, & intempestiuam gratio. Sed hoc viderint & qui genu runt, & qui rudes admiserunt: si enī Flet illi in festinatione, hi in delectu no peccarent, gymnasia florerent. Trad lusciniam mirè de suis filiis esse sollicita bon ut rectè, modulateq; canere discant, atq; ideo iuniores ex parentum institutionem tam

gisti

gistras summa cum attentione solent audi-
re, versusq; quos imitantur, accipere, quos-
que magna cum diligentia recitent, qua-
dam enim vicissitudine, quo melius atque
facilius discant, modo canentes parentes au-
diunt, modo quæ diligenter audiuerese cum
ipsæ meditantur, & attentiore cura prome-
re contendunt, itaq; fit, ut si quæ parvule
capiantur, cum nondum canere didicerint,
atque inter homines alantur, longè dete-
rius canant, quoniam ante legitimum tem-
pus à magistris subductæ fuerint. Hæc his
verbis M. Antonius Maioragius in
proœmio commentariorum Cicero-
nis de oratore. Ergo in nos poëtarum
principis versus illi conueniunt.

*Qualis populea mærens philomela sub um-
bra,*

*Amisso queritur fætus, quos durus arator
Obseruans nido implumes detraxit, at illa
Flet nocte, ramoq; sedens miserabile carmē
Integrat, & mæstis latè loca questib. implet.*

*Trad. Non nego esse multos, qui ex illo
bonarū artium quasi mercatu erudi-
t, atq; scientiamq; deportent, multo
tamen plures essent, quos iactare Aca-*

G 2 demiae

demiæ possent , nisi competitio ap-
probandi discrimen sustulisset. Quòd
si vlli in egregiis disciplinarum domi-
ciliis præclarè se gerunt , illi sunt ferè
qui nobis lubetibus ad amplioris gym-
nasij sese magistros contulerunt. Quì
quòd & in humanioribus literis , & in
virtute radices egissent , salui ex illis
comitiorum , licentiæ , & largitionis
fluctibus , in columnesq; ad portum per-
uenerunt . Evidem ab hac Acade-
miarum vicinia semper abhorrei , lu-
dumq; literarium nunquam in illis lo-
cis aperiendum censui , vbi aut ali-
